UNIV. OF
CALIFORNIA

C. CORNELII TACITI

DIALOGVS DE ORATORIBVS

RECOGNOVIT

ALFRED SCHÖNE
DR. PHIL.

DRESDAE.
Propriis sumptibus editoris.
MDCCCIC.

PA6706
J5
1899
MAIN

Codices, quibus in dialogo recensendo usus sum, hi sunt:

A = Vaticanus 1862. chart. fol., s. XV. (continens praeter dialogum Germaniam et Suetonii reliquias).

B = Leidensis XVIII Perizonianus C 21, membr. form. quadr., s. XV (continens praeter dialogum Germaniam et Suetonii reliquias).

C = Farnesianus siue Neapolitanus IV c. 21, membr. fol. s. XV (continens praeter dialogum Germaniam, Suetonii reliquias, Taciti annalium XI—XVI, historiarum libros I—V).

D = Vaticanus 1518, membr. quadr., s. XV (continens praeter dialogum Germaniam, Suetonii reliquias, Porphyrionis scholia in Horatium, Persii uitam et Cornuti in Persium commentum.)

Δ = Vaticanus 4498, membr. s. XV (continens praeter dialogum, Germaniam, Agricolamque, Suetonii reliquias, libellum de uiris illustribus.)

E = Ottobonianus 1455, chart. fol. s. XV (continens praeter dialogum Suetonii reliquias, Messalae Coruini de progenie suae libellum, Blondi Forliuiensis Italiam illustratam, aliaque).

V_1 = Vindobonensis olim numero CCCLI, nunc IL signatus, chart. fol. s. XV (continens praeter dialogum et Germaniam annalium XI-XVI, historiarum libros I—V.)

V_2 = Vindobonensis DCCXI, chart. fol. s. XV (continens tribus uoluminibus praeter dialogum et Germaniam Suetonii reliquias Blondi Flauii Forliuiensis Italiam illustratam aliaque.)

Ipse solum contuli Vindobonensem$_1$ et partem codicis Vindobonensis$_2$, cuius libri lectiones uariantes sub uno conspectu posuit omnes Fridericus Scheuer in dissertatione sua

anno 1891 Vratislauia in lucem missa: De Tacitei de oratoribus dialogi codicum nexu et fide.

Librorum ABCDΔE lectiones dedi ex apparatu critico, quem publici iuris fecit Michaelis in editione sua anno 1868, ratione habita eorum, quae Andresen in Zeitschrift f. d. Gymnasialwesen 1895 (Jahresber. des Philolog. Vereins zu Berlin tom. XXI p. 161.) et Baehrens in editione sua p. 44 de nonnullis codicum lectionibus addiderunt. Codicis Harleiani (H), quem ex V_1 originem duxisse mihi quidem persuasum est, nonnullas tantum lectiones easque ex editione Petersoniana (Cornelii Taciti Dialogus de oratoribus. A revised text with introductory essays and critical explanatory notes by W. Peterson. Oxford 1893) exscripsi.

Litteris minusculis lectiones notaui, quae a manu posteriore additae sunt.

UNIV. OF
CALIFORNIA

Saepe ex me requiris, Iuste Fabi, cur, cum priora saecula 1
tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, nostra
potissimum aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen
ipsum oratoris retineat; neque enim ita appellamus nisi anti-
quos, horum autem temporum diserti causidici et aduocati et 5
patroni et quiduis potius quam oratores uocantur. cui per-
contationi tuae respondere et tam magnae quaestionis pondus
excipere, ut aut de ingeniis nostris male existimandum sit si
idem adsequi non possumus, aut de iudiciis si nolumus,
uix hercule auderem, si mihi mea sententia proferenda ac 10
non disertissimorum ut nostris temporibus hominum sermo
repetendus esset, quos eandem hanc quaestionem pertrac-
tantes iuuenis admodum audiui. ita non ingenio sed memoria
et recordatione opus est, ut quae a praestantissimis uiris et
excogitata subtiliter et dicta grauiter accepi, cum singuli, 15
dum afferrent, formam sui quisque et animi et ingenii redde-
rent, iisdem nunc numeris iisdemque rationibus persequar
seruato ordine disputationis. neque enim defuit qui diuersam
quoque partem susciperet ac multum uexata et irrisa uetu-
state nostorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis 20
anteferret.

nam postero die quam Curiatius Maternus Catonem reci- 2
tauerat, cum offendisse potentium animos diceretur, tamquam
in eo tragoediae argumento sui oblitus tantum Catonem cogi-
tasset, eaque de re per urbem frequens sermo haberetur,
uenerunt ad eum M. Aper et Iulius Secundus, celeberrima 5
tum ingenia fori nostri, quos ego in iudiciis non modo studiose
audiebam sed domi quoque et in publico utrosque as-
sectabar mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuuenili,
ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae
dictionis penitus exciperem: quamuis maligne plerique opina- 10

1

596187

BIBLIOTECA

rentur nec Secundo promptum esse sermonem et Aprum ingenio potius et ui naturae quam institutione et litteris famam eloquentiae consecutum. nam et Secundo purus et pressus et in quantum satis erat profluens sermo non defuit, et Aper omni eruditione imbutus contemnebat potius litteras quam nesciebat, tamquam maiorem industriae et laboris gloriam habiturus, si ingenium eius nullis alienarum artium adminiculis inniti uideretur.

3 igitur ut intrauimus cubiculum Materni, sedentem ipsumque quem pridie recitauerat librum inter manus habentem deprehendimus.

tum Secundus 'nihilne te' inquit 'Materne, fabulae malignorum terrent quo minus offensas Catonis tui ames? an ideo librum istum apprehendisti, ut diligentius retractares et sublatis siqua prauae interpretationi materiam dederunt emitteres Catonem non quidem meliorem sed tamen securiorem?'

tum ille 'quidquid sibi debuerit, ea agnosces quae audisti. quod siqua omisit Cato, sequenti recitatione Thyestes dicet; hanc enim tragoediam disposui iam et intra me ipse formaui. atque ideo maturare libri huius editionem festino, ut dimissa priore cura nouae cogitationi toto pectore incumbam.'

'adeo te tragoediae istae non satiant,' inquit Aper 'quo minus omissis orationum et causarum studiis omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyestem consumas? cum te tot amicorum causae, tot coloniarum et municipiorum clientelae in forum uocent, quibus uix suffeceris etiam si non nouum tibi ipse negotium importasses, ut Domitium et Catonem id est nostras quoque historias et Romana nomina Graeculorum fabulis aggregares'.

4 et Maternus: 'perturbarer hac tua seueritate, nisi frequens et assidua nobis contentio iam prope in consuetudinem uertisset. nam nec tu agitare et insequi poetas intermittis et ego, cui desidiam aduocationum obicis, quotidianum hoc patrocinium defendendae aduersus te poeticae exerceo. quo lactor magis oblatum nobis iudicem, qui me uel in futurum uetet uersus facere uel, quod iam pridem opto sua quoque auctoritate compellat ut omissis forensium causarum angustiis,

UNIV. OF CALIFORNIA

in quibus mihi satis superque sudatum est, sanctiorem illam et augustiorem eloquentiam colam.'

'ego uero' inquit Secundus 'ante quam me iudicem Aper recuset faciam quod probi et modesti iudices solent, ut in iis cognitionibus se excusent in quibus manifestum est alteram apud eos partem gratia praeualere. quis enim nescit neminem mihi coniunctiorem esse et usu amicitiae et assiduitate contubernii quam Saleium Bassum, cum optimum uirum tum absolutissimum poetam? porro si poetica accusatur, non alium uideo reum locupletiorem.'

'securus sit' inquit Aper 'et Saleius Bassus et quisquis alius studium poeticae et carminum gloriam fouet, cum causas agere non possit. ego enim, quatenus arbitrum iustum huius litis inuenimus, non patiar Maternum societate plurium defendi, sed ipsum solum aperte eo arguam, quod natus ad eloquentiam uirilem et oratoriam, qua parere simul et tueri amicitias, adsciscere necessitudines, complecti prouincias, possit, omittit studium quo non aliud in ciuitate nostra uel ad utilitatem fructuosius uel ad uoluptatem dulcius uel ad dignitatem amplius uel ad urbis famam pulchrius uel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. nam si ad utilitatem uitae omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid est tutius quam eam exercere artem, qua semper armatus praesidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, inuidis uero et inimicis metum et terrorem ultro feras, ipse securus et uelut quadam perpetua potentia ac potestate munitus? cuius uis et utilitas rebus prospere fluentibus aliorum perfugio et tutela intellegitur; sin proprium periculum increpuit, non hercule lorica et gladius in acie firmius munimentum quam reo periclitanti eloquentia praesidium simul ac telum, quo propugnare pariter et incessere siue in iudicio siue in senatu siue apud principem possis. quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus quam eloquentiam suam opposuit? qua accinctus et minax disertam quidem sed inexercitatam et eius modi certaminum rudem Heluidi sapientiam elusit. plura de utilitate non dico, cui parti minime contra dicturum Maternum meum arbitror. ad 6 uoluptatem oratoriae eloquentiae transeo, cuius iucunditas non

uno aliquo momento sed omnibus prope diebus oratori contingit. quid enim dulcius libero et ingenuo animo et ad uoluptates honestas nato quam uidere plenam semper et frequentem domum suam concursu splendidissimorum hominum? idque scire non pecuniae, non orbitati, non officii alicuius administrationi, sed sibi ipsi dari? ipsos quin immo orbos et locupletes et potentes uenire plerumque ad iuuenem et pauperem, ut aut sua aut amicorum discrimina commendent? ullane tanta ingentium opum ac magnae potentiae uoluptas quam spectare homines ueteres et senes et totius orbis gratia subnixos in summa rerum omnium abundantia confitentes id quod optimum sit se non habere? iam uero qui togatorum comitatus et egressus, quae in publico species, quae in iudiciis ueneratio! quod illud gaudium consurgendi assistendique inter tacentes et in unum conuersos! coire populum et circumfundi coronam et accipere affectum quemcumque orator uoluerit! uulgata dicentium gaudia et imperitorum quoque oculis exposita percenseo: illa secretiora et tantum ipsis orantibus nota maiora sunt. siue accuratam meditatamque profert orationem, est quoddam sicut ipsius dictionis ita gaudii pondus et constantia; siue nouam et recentem curam non sine aliqua trepidatione animi attulerit, ipsa sollicitudo commendat euentum et lenocinatur uoluptati. sed extemporalis audaciae atque ipsius temeritatis uel praecipua iucunditas est. nam in ingenio quoque sicut in agro, qualiacumque sunt, quae diligenter serantur atque elaborentur, gratiora tamen quae sua sponte nascuntur. equidem, ut de me ipse fatear, non eum diem laetiorem egi quo mihi latus clauus oblatus est, uel quo homo nouus et in ciuitate minime fauorabili natus quaesturam aut tribunatum aut praeturam accepi, quam eos quibus mihi pro mediocritate huius quantulaecumque in dicendo facultatis aut apud patres reum prospere defendere aut apud centumuiros causam aliquam feliciter orare aut apud principem ipsius illos libertos et procuratores tueri et defendere datur. tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus ascendere uideor, tum habere quod nec principum codicillis datur nec ciuium gratia uenit, sed numine diuino oritur. quid? fama et laus cuius artis cum oratorum gloria comparanda est? qui-

UNIV. OF
CALIFORNIA

nam illustriores sunt in urbe, non solum apud negotiosos et rebus intentos sed etiam apud iuuenes et adolescentes, quibus modo recta indoles est et bona spes sui? quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt? quos saepius uolgus quoque imperitum et tunicatus hic populus transeuntes nomine uocat et digito demonstrat? aduenae quoque et peregrini iam in municipiis et coloniis suis auditos, cum primum urbem attigerunt, requirunt ac uelut agnoscere concupiscunt. ausim contendere Marcellum hunc Eprium de quo modo locutus sum et Crispum Vibium (libentius enim nouis et recentibus quam remotis et oblitteratis exemplis utor) non minus illustres esse in extremis partibus terrarum quam Capuae aut Vercellis ubi nati dicuntur. nec hoc illis alterius bis, alterius ter milies sestertium praestat (quamquam ad has ipsas opes possunt uideri eloquentiae beneficio uenisse), sed ipsa eloquentia, cuius numen et caelestis uis multa quidem omnibus saeculis exempla edidit ad quam usque fortunam homines ingenii uiribus peruenerint, sed haec, ut supra dixi, proxima et quae non auditu cognoscenda sed oculis spectanda haberemus. nam quo sordidius et abiectius nati sunt quoque notabilior paupertas et angustiae rerum nascentes eos circumsteterunt, eo clariora et ad demonstrandam oratoriae eloquentiae utilitatem illustriora exempla sunt, quod sine commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemptus, per multos iam annos potentissimi sunt ciuitatis ac donec libuit principes fori, nunc principes in Caesaris amicitia agunt feruntque cuncta atque ab ipso principe cum quadam reuerentia diliguntur, quia Vespasianus, uenerabilis senex et patientissimus ueri, bene intellegit ceteros quidem amicos suos iis niti quae ab ipso acceperint quaeque ipsi accumulare et in alios congerere promptum sit, Marcellum autem et Crispum attulisse ad amicitiam suam quod non a principe acceperint nec accipi possit. minimum inter tot ac tanta praemia locum obtinent imagines ac tituli et statuae, quae neque ipsa tamen negleguntur, tam hercule quam diuitiae et opes, quas facilius inuenies qui uituperet quam qui fastidiat. his igitur et honoribus et ornamentis et facultatibus refertas domos eorum uidemus, qui se

UNIV. OF CALIFORNIA

ab ineunte aetate causis forensibus et oratorio studio dederunt.
9 nam carmina et uersus quibus totam uitam Maternus insumere optat (inde enim omnis fluxit oratio) neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant neque utilitatem: uoluptatem enim breuem, laudem inanem et infructuosam consequuntur. licet haec ipsa et quae deinceps dicturus sum aures tuae, Materne, respuant, cui bono est si apud te Agamemnon aut Iason diserte loquitur? quis ideo domum defensus et tibi obligatus redit? quis Salcium nostrum, egregium poetam uel, si hoc honorificentius est, praeclarissimum uatem, deducit aut salutat aut prosequitur? nempe si amicus eius, si propinquus, si denique ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret aut ad te, Materne, non quia poeta es neque ut pro eo uersus facias; hi enim Basso domi nascuntur, pulchri quidem et iucundi, quorum tamen hic exitus est ut, cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte unum librum excudit et elucubrauit, rogare ultro et ambire cogatur ut sint qui dignentur audire. et ne id quidem gratis; nam et domum mutuatur et auditorium extruit et subsellia conducit et libellos dispergit. et ut beatissimus recitationem eius euentus prosequatur, omnis illa laus intra unum aut alterum diem uelut in herba uel flore praecerpitur aut ad nullam certam et solidam peruenit frugem, nec aut amicitiam inde refert aut clientelam aut mansurum in animo cuiusquam beneficium, sed clamorem uagum et uoces inanes et gaudium uolucre. laudauimus nuper ut miram et eximiam Vespasiani liberalitatem quod quingenta sestertia Basso donasset. pulchrum id quidem, indulgentiam principis ingenio mereri; quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum genium propitiare, suam experiri liberalitatem! adice quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere uelint, relinquenda conuersatio amicorum et iucunditas urbis, deserenda cetera officia, utque ipsi dicunt
10 in nemora et lucos, id est in solitudinem secedendum est. ne opinio quidem et fama, cui soli seruiunt et quod unum esse pretium laboris sui fatentur, aeque poetas quam oratores sequitur, quoniam mediocris poetas nemo nouit, bonos pauci. quando enim harum recitationum fama in totam urbem penetrat? nedum ut per tot prouincias innotescat. quotus quisque,

cum ex Hispania uel Asia (nequid de Gallis nostris loquar) in urbem uenit, Saleium Bassum requirit? atque adeo siquis requirit, ut semel uidit, transit et contentus est, ut si picturam aliquam uel statuam uidisset. neque hunc meum sermonem sic accipi uolo, tamquam eos quibus natura oratorium ingenium denegauit deterream a carminibus, si modo in hac studiorum parte oblectare otium et nomen inserere possunt famae. ego uero omnem eloquentiam omnesque eius partes sacras et uenerabiles puto, nec solum cothurnum uestrum aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque iucunditatem et elegorum lasciuias et iamborum amaritudinem et epigrammatum lusus et quamcumque aliam speciem eloquentia habeat anteponendam ceterarum artium studiis credo. sed tecum mihi, Materne, res est, quod, cum natura tua in ipsam arcem eloquentiae te ferat, errare mauis et summa adepturus in leuioribus subsistis. ut si in Graecia natus esses ubi ludicras quoque artis exercere honestum est, ac tibi Nicostrati robur ac uires dii dedissent, non paterer immanes illos et ad pugnam natos lacertos leuitate iaculi aut disci uanescere, sic nunc te ab auditoriis et theatris in forum id est ad causas et ad uera proelia uoco, cum praesertim ne ad illud quidem confugere possis quod plerisque patrocinatur, tamquam minus obnoxium sit offensae poetarum quam oratorum studium. efferuescit enim uis pulcherrimae naturae tuae, nec pro amico aliquo sed, quod periculosius est, pro Catone offendis. nec excusatur offensa necessitudine officii aut fide aduocationis aut fortuitae et subitae dictionis impetu: meditatus uideris elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam. at sentio quid responderi possit: hinc ingentis existere assensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri. tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas aduersarium superiorem; nobis satis sit priuatas et nostri saeculi controuersias tueri, in quibus si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata.'

quae cum dixisset Aper acrius ut solebat et intento ore remissus et subridens Maternus 'parantem' inquit 'me non minus diu accusare oratores quam Aper laudauerat (fore

enim arbitrabar ut a laudatione eorum digressus detractaret poetas atque carminum studium prosterneret) arte quadam mitigauit, concedendo iis qui causas agere non possent ut uersus facerent. ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid et eniti fortasse possum, ita recitatione tragoediarum et ingredi famam auspicatus sum, cum pridem improbam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi, et hodie siquid nobis notitiae ac nominis est, magis arbitror carminum quam orationum gloria partum. ac iam me deiungere a forensi labore constitui, nec comitatus istos et egressus aut frequentiam salutantium concupisco, non magis quam aera et imagines, quae etiam me nolente in domum meam inruperunt. nam statum huius atque securitatem melius innocentia tueor quam eloquentia, nec uereor ne mihi umquam uerba in senatu nisi pro alterius discrimine facienda sint. nemora uero et luci et secretum ipsum quod Aper increpabat tantam mihi afferunt uoluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem quod non in strepitu urbis nec sedente ante ostium litigatore nec inter sordes ac lacrimas reorum conponuntur, sed secedit animus in loca pura atque innocentia fruiturque sedibus sacris. haec eloquentiae primordia, haec penetralia; hoc primum habitu cultuque commendata mortalibus in illa casta et nullis contacta uitiis pectora influxit; sic oracula loquebantur. nam lucrosae huius et sanguinantis eloquentiae usus recens et malis moribus natus atque ut tu dicebas, Aper, in locum teli repertus. ceterum felix illud et, ut more nostro loquar, aureum saeculum et oratorum et criminum inops poetis et uatibus abundabat, qui bene facta canerent, non qui male admissa defenderent. nec ullis aut gloria maior aut augustior honor, primum apud deos quorum proferre responsa et interesse epulis ferebantur, deinde apud illos dis genitos sacrosque reges inter quos neminem causidicum sed Orphea ac Linum ac, si introspicere altius uelis, ipsum Apollinem accepimus. uel si haec fabulosa nimis et composita uidentur, illud certe mihi concedes, Aper, non minorem honorem Homero quam Demostheni apud posteros, nec angustioribus terminis famam Euripidis aut Sophoclis quam Lysiae aut Hyperidis includi. plures hodie reperies qui

Ciceronis gloriam quam qui Virgilii detrectent, nec ullus Asinii aut Messallae liber tam illustris est quam Medea Ouidii aut Varii Thyestes. ac ne fortunam quidem uatum 13 et illud felix contubernium comparare timuerim cum inquieta et anxia oratorum uita. licet illos certamina et pericula sua ad consulatus euexerint, malo securum et quietum Virgilii secessum, in quo tamen neque apud diuum Augustum gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. testes Augusti epistulae, testis ipse populus, qui auditis in theatro Virgilii uersibus surrexit uniuersus et forte praesentem spectantemque ueneratus est quasi Augustum. ne nostris quidem temporibus Secundus Pomponius Afro Domitio uel dignitate uitae uel perpetuitate famae cesserit. nam Crispus iste et Marcellus ad quorum exempla me uocas, quid habent in hac sua fortuna concupiscendum? quod timent an quod timentur? quod, cum quotidie aliquid rogentur, ii quibus praesto non sunt indignantur? quod adligati clientium adulatione nec imperantibus umquam satis serui uidentur nec nobis satis liberi? quae haec summa eorum potentia est? tantum posse liberti solent. me uero dulces ut Virgilius ait Musae remotum a sollicitudinibus et curis et necessitate quotidie aliquid contra animum faciendi in illa sacra ad illosque fontes ferant, nec insanum ultra et lubricum forum famamque pauitantem trepidus experiar. non me fremitus salutantium nec anhelans libertus excitet, ne incertus futuri testamentum pro pignore scribam, nec plus habeam quam quod possim cui uelim relinquere, quandoque fatalis meus dies ueniet; statuarque tumulo non maestus et atrox sed hilaris et coronatus, et pro memoria mei nec consulat quisquam nec roget.'

uixdum finierat Maternus, concitatus et uelut instinctus, 14 cum Vipstanus Messalla cubiculum est ingressus suspicatusque ex ipsa intentione singulorum altiorem inter eos esse sermonem 'num parum tempestiuus' inquit 'interueni secretum consilium aut causae alicuius meditationem tractantibus?'

'minime, minime' inquit Secundus, 'atque adeo uellem maturius interuenisses: delectasset enim te et Apri nostri accuratissimus sermo, cum Maternum ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas conuerteret exhortatus

est, et Materni pro carminibus suis laeta utque poetas defendi decebat audentior et poetarum quam oratorum similior oratio.'

'me uero' inquit ille 'sermo ipse infinita uoluptate affecisset, atque id inprimis delectat quod uos, uiri optimi et temporum nostrorum oratores, non forensibus tantum negotiis et declamatorio studio ingenia uestra exercetis, sed eius modi etiam disputationes assumitis quae et ingenium alunt et eruditionis ac litterarum iucundissimum oblectamentum cum uobis qui ista disputatis afferunt, tum etiam iis ad quorum aures peruenerint. itaque hercle non minus recte inprobare mihi uideor in te, Secunde, quod Iuli Africani uitam conponendo spem hominibus fecisti plurium eius modi librorum, quam in Apro quod nondum ab scholasticis controuersiis recessit et otium suum mauult nouorum rhetorum more quam ueterum oratorum consumere'.

15 tum Aper: 'non desinis, Messalla, uetera tantum et antiqua mirari, nostrorum autem temporum studia irridere atque contemnere? nam hunc tuum sermonem saepe excepi, cum oblitus et tuae et fratris tui eloquentiae neminem hoc tempore oratorem esse contenderes parem antiquis, eo credo audacius quod malignitatis opinionem non uerebaris, cum eam gloriam quam tibi alii concedunt ipse tibi denegares.'

'neque illius' inquit 'sermonis mei paenitentiam ago neque aut Secundum aut Maternum aut te ipsum, Aper, quamquam interdum in contrarium disputes, aliter sentire credo. ac uelim impetratum ab aliquo uestrum ut causas huius infinitae differentiae scrutetur ac reddat, quas mecum ipse plerumque inquiro. et quod quibusdam solacio est idem etiam Graiis accidisse mihi auget quaestionem, quia uel longius absit ab Aeschine et Demosthene Sacerdos iste Nicetes et siquis alius Ephesum uel Mytilenas concentu scholasticorum et clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus aut uos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis.'

16 'magnam' inquit Secundus 'et dignam tractatu quaestionem mouisti. sed quis eam iustius explicabit quam tu, ad cuius summam eruditionem et praestantissimum ingenium cura quoque et meditatio accessit?'

et Messalla 'aperiam' inquit 'cogitationes meas, si illud a uobis ante impetrauero ut uos quoque sermonem hunc nostrum adiuuetis.'

'pro duobus' inquit Maternus 'promitto: nam et ego et Secundus exequemur eas partes, quas intellexerimus te non tam omisisse quam nobis reliquisse. Aprum enim solere dissentire et tu paulo ante dixisti et ipse satis manifestus est iam dudum in contrarium accingi nec aequo animo perferre hanc nostram pro antiquorum laude concordiam.'

'non enim' inquit Aper 'inauditum et indefensum saeculum nostrum patiar hac uestra conspiratione damnari. sed hoc primum interrogabo, quos uocetis antiquos, quam oratorum aetatem significatione ista determinetis. ego enim cum audio antiquos, quosdam ueteres et olim natos intellego; ac mihi uersantur ante oculos Ulixes ac Nestor, quorum aetas mille fere et trecentis annis saeculum nostrum antecedit: uos autem Demosthenem et Hyperidem profertis, quos satis constat Philippi et Alexandri temporibus floruisse. ex quo apparet non multo plures quam trecentos annos interesse inter nostram et Demosthenis aetatem. quod spatium temporis si ad infirmitatem corporum nostrorum referas, fortasse longum uideatur, si ad naturam saeculorum ac spatium immensi huius aeui, perquam breue et in proximo est. nam si, ut Cicero in Hortensio scribit, is est magnus et uerus annus, quo eadem positio caeli siderumque quae cum maxime est rursum existet, isque annus horum quos nos uocamus annorum duodecim milia nongentos quinquaginta quattuor conplectitur, incipit Demosthenes uester, quem uos ueterem et antiquum fingitis, non solum eodem anno quo nos sed etiam eodem mense extitisse. sed transeo ad Latinos oratores, in quibus non Me- 17
nenium ut puto Agrippam, qui potest uideri antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere soletis, sed Ciceronem et Caesarem et Caelium et Caluum et Brutum et Asinium et Messallam, quos quid antiquis temporibus potius adscribatis quam nostris non uideo. nam ut de Cicerone ipso loquar, ut Tiro libertus eius scribit, VII idus Decembres occisus est, quo anno diuus Augustus in locum Pansae et Hirtii se et Q. Pedium consules suffecit. statue sex et quinquaginta

annos quibus mox diuus Augustus rem publicam rexit; adice Tiberii tres et uiginti, et prope quadriennium Gai, ac bis quaternos denos Claudii et Neronis annos, atque illum Galbae et Othonis et Vitelli stationibus longum et unum annum, ac nouem inde felicis huius principatus quo Vespasianus rem publicam fouet: centum et uiginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, id est unius hominis aetas. nam ipse ego in Britannia uidi senem, qui se fateretur ei pugnae interfuisse qua Caesarem inferentem arma Britanniae arcere litoribus et pellere aggressi sunt. ita si eum qui armatus C. Caesari restitit uel captiuitas uel uoluntas uel fatum aliquod in urbem pertraxisset, aeque idem et Caesarem ipsum et Ciceronem audire potuit et nostris quoque actionibus interesse. proximo quidem congiario ipsi uidistis plerosque senes qui se a diuo quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant: ex quo colligi potest et Coruinum ab illis et Asinium audiri potuisse. nam uterque paene ad extremum usque Augusti principatum durauit.

18 haec ideo praedixi ne diuidâtis saeculum et antiquos ac recentes uocitetis oratores, quos eorundem hominum aures agnoscere ac uelut coniungere et copulare potuerunt, ut, siqua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus adquiritur, eam docerem in medio sitam et propiorem nobis quam Seruio Galbae aut C. Laelio aut C. Carboni quosque alios merito antiquos uocauerimus; sunt enim horridi et inpoliti et rudes et informes et quos utinam nulla parte imitatus esset Caluus uester aut Caelius aut ipse Cicero. agere enim fortius iam et audentius uolo, si illud ante praedixero mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi. sic Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior, sic Graccho politior et ornatior Crassus, sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero, Cicerone mitior Coruinus et dulcior et in uerbis magis elaboratus. nec quaero quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiae uultum sed in illis quoque quos uocatis antiquos plures species deprehendi, nec statim deterius esse quod diuersum est. uitio autem malignitatis humanae uetera semper in laude, praesentia in fastidio esse. num

dubitamus inuentos qui prae Catone Appium Caecum magis mirarentur? satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens nec satis pressus sed supra modum exultans et superfluens et parum Atticus uideretur. legistis utique et Calui et Bruti ad Ciceronem missas epistulas, ex quibus facile est deprehendere Caluum quidem Ciceroni uisum exanguem et aridum, Brutum autem otiosum atque diiunctum, rursusque Ciceronem a Caluo quidem male audisse tamquam solutum et eneruem, a Bruto autem, ut ipsius uerbis utar, tamquam fractum atque elumbem. si me interroges: omnes mihi uidentur uerum dixisse. sed mox ad singulos ueniam, nunc mihi cum uniuersis negotium est. nam quatenus 19 antiquorum admiratores hunc uelut terminum quem faciunt antiquitatis constituere solent usque ad Cassium Seuerum, quem primum affirmant flexisse ab illa uetere atque directa dicendi uia, non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad aliud dicendi genus contendo sed iudicio et intellectu. uidit namque, ut paulo ante dicebam, cum condicione temporum et diuersitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. facile perferebat prior ille populus ut imperitus et rudis impeditissimarum orationum spatia, atque id ipsum laudabat si dicendo quis diem eximeret. iam uero longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetita series et multarum diuisionum ostentatio et mille argumentorum gradus et quidquid aliud aridissimis Hermagorae et Apollodori libris praecipitur in honore erat: quod siquis odoratus philosophiam uideretur atque ex ea locum aliquem orationi suae insereret, in caelum laudibus ferebatur. nec mirum: erant enim haec noua et incognita et ipsorum quoque oratorum paucissimi praecepta rhetorum aut philosophorum placita cognouerant. at hercule peruolgatis iam omnibus, cum uix in corona quisquam adsistat quin elementis studiorum etsi non instructus at certe imbutus sit, nouis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est per quae orator fastidium aurium effugiat, utique apud eos iudices qui ui et potestate, non iure aut legibus cognoscunt, nec accipiunt tempora sed constituunt, nec expectandum habent oratorem dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed saepe ultro admonent atque alio

transgredientem reuocant et festinare se testantur. quis nunc feret oratorem de infirmitate ualitudinis suae praefantem, qualia sunt fere principia Coruini? quis quinque in Verrem libros expectabit? quis de exceptione et formula perpetietur illa immensa uolumina quae pro M. Tullio aut Aulo Caecina legimus? praecurrit hoc tempore iudex dicentem et, nisi aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum inuitatus et corruptus est, auersatur. uolgus quoque adsistentium et adfluens et uagus auditor adsueuit iam exigere laetitiam et pulchritudinem orationis, nec magis perfert in iudiciis tristem et inpexam antiquitatem quam siquis in scena Q. Rosci aut Turpionis Ambiuii exprimere gestus uelit. iam uero iuuenes et in ipsa studiorum incude positi, qui profectus sui causa oratores sectantur, non solum audire sed etiam referre domum aliquid illustre et dignum memoria uolunt, traduntque in uicem ac saepe in colonias ac prouincias suas scribunt, siue sensus aliquis arguta et breui sententia effulsit, siue locus exquisito et poetico cultu enituit. exigitur enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Acci aut Pacuui ueterno inquinatus, sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatus. horum igitur auribus et iudiciis obtemperans nostrorum oratorum aetas pulchrior et ornatior extitit. neque ideo minus efficaces sunt orationes nostrae, quia ad aures iudicantium cum uoluptate perueniunt. quid enim si infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi caemento et informibus tegulis extruuntur, sed marmore nitent et auro radiantur? equidem fatebor uobis simpliciter me in quibusdam antiquorum uix risum, in quibusdam autem uix somnum tenere. nec illum dico populum Pacuui aut Acci id est Furnios et Toranios aliosque qui in eodem ualitudinario haec ossa et hanc maciem probant: ipse mihi Caluus, cum unum et uiginti ut puto libros reliquerit, uix in una et altera oratiuncula satis facit. nec dissentire ceteros ab hoc meo iudicio uideo: quotus enim quisque Calui in Asitium aut in Drusum legit accusationes? at hercle in omnium studiosorum manibus uersantur quae in Vatinium inscribuntur, ac praecipue secunda ex his oratio: est enim et uerbis ornata et sententiis, auribus iudicum accommodata,

ut scias ipsum quoque Caluum intellexisse quid melius esset, nec uoluntatem ei quo minus sublimius et cultius diceret sed ingenium ac uires defuisse. quid? ex Caelianis orationibus nempe eae placent, siue uniuersae siue partes earum, in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. sordes autem illae uerborum et hians conpositio et inconditi sensus redolent antiquitatem, nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Caelium ex ea parte laudet qua antiquus est. concedamus sane C. Caesari ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit quam diuinum eius ingenium postulabat, tam hercle quam Brutum philosophiae suae relinquamus: nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur. nisi forte quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit — nisi qui et carmina eorundem miratur; fecerunt enim et carmina et in bibliothecas retulerunt, non melius quam Cicero sed felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit, uidetur mihi inter Menenios et Appios studuisse; Pacuuium certe et Accium non solum tragoediis sed etiam orationibus suis expressit; adeo durus et siccus est. oratio autem sicut corpus hominis ea demum pulchra est, in qua non eminent uenae nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exurgit toris ipsosque neruos rubor tegit et decor commendat. nolo Coruinum insequi, quia quo minus laetitiam nitoremque nostorum temporum exprimeret eius uis aut animi aut ingenii vix suffecerit. ad Ciceronem uenio, cui eadem pugna cum aequalibus suis fuit quae mihi nobiscum est. illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat; nec ulla re magis oratores aetatis eiusdem praecurrit quam iudicio. primus enim excoluit orationem, primus et uerbis delectum adhibuit et compositiõni artem, locos quoque laetiores attentauit et quasdam sententias inuenit, utique in iis orationibus quas iam senior et iuxta finem uitae composuit, id est postquam magis profecerat usuque et experimentis didicerat quod optimum dicendi genus esset. nam priores eius orationes non carent uitiis antiquitatis: lentus est

in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus; tarde commouetur, raro incalescit; pauci sensus apte et cum quodam lumine terminantur. nihil excerpere, nihil referre possis, et uelut in rudi aedificio firmus sane paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens. ego autem oratorem sicut locupletem ac lautum patrem familiae non eo tantum uolo tecto tegi quod imbrem ac uentum arceat, sed etiam quod uisum et oculos delectet; non ea solum instrui supellectile quae necessariis usibus sufficiat, sed sit in apparatu eius et aurum et gemmae, ut sumere in manus et aspicere saepius libeat. quaedam uero procul arceantur ut iam oblitterata et exoleta, nullum sit uerbum uelut rubigine infectum, nulli sensus tarda et inerti structura in morem annalium conponantur; fugitet foedam et insulsam scurrilitatem, uariet compositionem, nec omnes clausulas uno et eodem modo determinet. nolo irridere rotam Fortunae et ius uerrinum et illud tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententia positum 'esse uideatur.' nam et haec inuitus retuli et plura omisi, quae tamen sola mirantur atque exprimunt ii qui se antiquos oratores uocant. neminem nominabo, genus hominum significasse contentus; sed uobis utique uersantur ante oculos illi qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Virgilio legunt, quibus eloquentia Aufidi Bassi aut Seruilii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet, qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, Calui mirantur. quos more prisco apud iudicem fabulantes non auditores sequuntur, non populus audit, uix denique litigator perpetitur: adeo maesti et inculti illam ipsam quam iactant sanitatem non firmitate sed ieiunio consequuntur. porro ne in corpore quidem ualitudinem medici probant quae nimia anxietate contingit; parum est aegrum non esse: fortem et laetum et alacrem uolo. prope abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur. uos uero, disertissimi utpote qui estis, ut facitis, illustrate saeculum nostrum pulcherrimo genere dicendi. nam et te, Messalla, uideo laetissima quaeque antiquorum imitantem et uos, Materne ac Secunde, ita grauitati sensuum nitorem et cultum uerborum miscetis, ea electio inuentionis, is ordo rerum, ea quotiens causa poscit ubertas, ea quotiens permittit

breuitas, is compositionis decor, ea sententiarum planitas est, sic exprimitis affectus, sic libertatem temperatis, ut etiam si nostra iudicia malignitas et inuidia tardauerit, uerum de uobis dicturi sint posteri nostri.'

quae cum Aper dixisset, 'agnoscitisne' inquit Maternus 24 'uim et ardorem Apri nostri? quo torrente, quo impetu saeculum nostrum defendit! quam copiose ac uarie uexauit antiquos! quanto non solum ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione et arte ab ipsis mutuatus est per quae mox ipsos incesseret! tuum tamen, Messalla, promissum inmutasse non debet. neque enim defensorem antiquorum exigimus nec quemquam nostrum, quamquam modo laudati sumus, iis quos insectatus est Aper comparamus. ac ne ipse quidem ita sentit, sed more ueteri et a ueteribus philosophis saepe celebrato sumpsit sibi contradicendi partes. igitur exprome nobis non laudationem antiquorum (satis enim illos fama sua laudat), sed causas collige cur in tantum ab eloquentia eorum recesserimus, cum praesertim centum tantum et uiginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem efficiat ratio temporum.'

tum Messalla: 'sequar praescriptam a te, Materne, formam; 25 neque enim diu contradicendum est Apro. qui primum ut opinor nominis controuersiam mouit, tamquam parum proprie antiqui uocarentur quos satis constat ante centum annos fuisse. mihi autem de uocabulo pugna non est; siue illos antiquos siue maiores siue quo alio mauult nomine appellet, dum modo in confesso sit eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. ne ulli quidem parti sermonis eius repugno si fatetur plures formas dicendi etiam isdem saeculis, nedum diuersis extitisse. sed quo modo inter Atticos oratores primae Demostheni tribuuntur, proximum autem locum Aeschines et Hyperides et Lysias et Lycurgus obtinent (omnium enim concessu haec oratorum aetas maxime probatur) sic apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Caluus autem et Asinius et Caesar et Caelius et Brutus suo iure et prioribus et sequentibus anteponuntur. nec refert quod inter se specie differunt, cum genere consentiant. adstrictior Caluus, numerosior Asinius,

splendidior Caesar, amarior Caelius, grauior Brutus, uehemen-
tior et plenior et ualentior Cicero; omnes tamen eandem sani-
tatem eloquentiae prae se ferunt, ut, si omnium pariter libros
in manum sumpseris, scias, quamuis in diuersis ingeniis
esse quandam iudicii ac uoluntatis similitudinem et cognatio-
nem. nam quod inuicem se obtrectauerunt et sunt aliqua epi-
stulis eorum inserta ex quibus mutua malignitas detegitur,
non est oratorum uitium sed hominum. nam et Caluum et
Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos et inuidere et liuere
et ceteris humanae infirmitatis uitiis affici; solum inter hos
arbitror Brutum non in malignitatem nec in inuidiam incidisse,
sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse. an
ille Ciceroni inuideret qui mihi uidetur ne Caesari quidem
inuidisse? quod ad Seruium Galbam et C. Laelium attinet et
siquos alios antiquorum Aper agitare non destitit, non exigit defen-
sorem, cum fatear quaedam eloquentiae eorum ut nascenti
26 adhuc nec satis adultae defuisse. ceterum si omisso optimo
illo et perfectissimo genere eloquentiae eligenda sit forma
dicendi, malim hercle C. Gracchi impetum aut L. Crassi
maturitatem quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallio-
nis: adeo melius est orationem uel hirta toga induere quam
fucatis et meretriciis uestibus insignire. neque enim oratorius
iste, immo hercle ne uirilis quidem cultus est, quo plerique
temporum nostrorum actores ita utuntur, ut lasciuia uerborum
et leuitate sententiarum et licentia compositionis histrionales
modos exprimant. quodque uix auditu fas esse debeat, laudis
et gloriae et ingenii loco plerique iactant cantari saltarique
commentarios suos; unde oritur illa foeda et praepostera sed
tamen frequens exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere,
histriones diserte saltare dicantur. equidem non negauerim
Cassium Seuerum, quem solum Aper noster nominare ausus
est, si iis comparetur qui postea fuerunt, posse oratorem uocari,
quamquam in magna parte librorum suorum plus bilis habeat
quam sanguinis; primus enim contempto ordine rerum, omissa
modestia ac pudore uerborum, ipsis etiam quibus utitur armis
inconpositus et studio feriendi plerumque deiectus, non pugnat
sed rixatur. ceterum, ut dixi, sequentibus comparatus et
uarietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum uirium

robore multum certe eos superat, quorum neminem Aper nominare et uelut in aciem educere sustinuit. ego autem expectabam ut incusato Asinio et Caelio et Caluo aliud nobis agmen produceret plurisque uel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari, singulis deinde singulos opponeremus; nunc detrectasse nominatim antiquos oratores contentus neminem sequentium laudare ausus est nisi in publicum et in commune, ueritus credo, ne multos offenderet, etsi paucos excerpsisset. quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur ut se ante Ciceronem numeret, etsi plane post Gabinianum? at ego non uerebor nominare 27
singulos, quo facilius propositis exemplis adpareat, quibus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia'.

'Parce' inquit Maternus 'et potius exsolue promissum. neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me quidem in confesso est, sed causas exquirimus quas te solitum tractare paulo ante dixisti, plane mitior et eloquentiae temporum nostrorum minus iratus, antequam te Aper offenderet maiores tuos lacessendo.'

'non sum' inquit 'offensus Apri illa disputatione, nec uos offendi decebit si quid forte aures uestras perstringat, cum sciatis hanc esse eius modi sermonum legem iudicium anim citra damnum affectus proferre.'

'perge' inquit Maternus: 'et cum de antiquis loquaris, utere antiqua libertate, a qua uel magis degenerauimus quam ab eloquentia.'

et Messalla 'non reconditas, Materne, causas requiris nec 28
aut tibi ipsi aut huic Secundo uel huic Apro ignotas, sed mihi partes assignatis proferendi in medium quae omnes sentiant. quis enim ignorat et eloquentiam et ceteras artes desciuisse ab illa uetere gloria non inopia hominum ingeniosorum, sed desidia iuuentutis et neglegentia parentum et inscientia praecipientium et obliuione moris antiqui? quae mala primum in urbe nata, mox per Italiam fusa, iam in prouincias manant. quamquam uestra uobis notiora sunt, ego de urbe et nostris propriis ac uernaculis uitiis loquar quae natos statim excipiunt et per singulos aetatis gradus cumulantur, si prius de scueritate ac disciplina maiorum

circa educandos formandosque liberos pauca praedixero. nam pridem suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cellula emptae nutricis sed in gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat tueri domum et inseruire liberis eligebatur enim maior aliqua natu propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnis eiusdem familiae suboles committeretur; coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu uideretur. ac non studia modo curasque, set remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac uerecundia temperabat. sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus. quae disciplina ac seueritas eo pertinebat, ut sincera et integra et nullis prauitatibus detorta unius cuiusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas et, siue ad rem militarem siue ad iuris scientiam siue ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, id uniuersum hauriret. at nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus seruis, plerumque uilissimus nec cuiquam serio ministerio accommodatus. horum fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur, nec quisquam in tota domo pensi habet quid coram infante domino aut dicat aut faciat. quin etiam ipsi parentes nec probitati neque modestiae paruulos assuefaciunt, sed lasciuiae et dicacitati, per quae paulatim impudentia inrepit et sui alienique contemptus. iam uero propria et peculiaria huius urbis uitia paene in utero matris concipi mihi uidentur, histrionalis fauor et gladiatorum equorumque studia: quibus occupatus et obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit? quotum quemque inuenies qui domi quicquam aliud loquatur? quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si quando auditoria intrauimus? ne praeceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent; colligunt enim discipulos non seueritate disciplinae nec ingenii experimento, sed ambitione salutationum et illecebris adulationis. transeo prima discentium elementa, in quibus et ipsis parum laboratur; nec in auctoribus cognoscendis nec in euoluenda antiquitate nec in notitia uel rerum uel hominum uel temporum satis operae insumitur,

sed expetuntur quos rhetoras uocant. quorum professio 30
quando primum in hanc urbem introducta sit quamque nullam
apud maiores nostros auctoritatem habuerit, strictim dicturus
referam necesse est animum ad eam disciplinam qua usos esse
eos oratores accepimus, quorum infinitus labor et quotidiana 5
meditatio et in omni genere studiorum assiduae exercitationes
ipsorum etiam continentur libris. notus est uobis utique
Ciceronis liber qui Brutus inscribitur, in cuius extrema parte
(nam prior commemorationem veterum oratorum habet) sua
initia, suos gradus, suae eloquentiae uelut quandam educati- 10
onem refert: se apud Q. Mucium ius ciuile didicisse, apud
Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum omnes philo-
sophiae partes penitus hausisse, neque iis doctoribus conten-
tum, quorum ei copia in urbe contigerat, Achaiam quoque et
Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium uarietatem com- 15
plecteretur. itaque hercle in libris Ciceronis deprehendere
licet non geometriae, non musicae, non grammaticae, non de-
nique ullius artis ingenuae scientiam ei defuisse. ille dialec-
ticae subtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum
motus causasque cognouerat. ita est enim, optimi uiri, ita: 20
ex multa eruditione et plurimis artibus et omnium rerum
scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia; neque
oratoria uis et facultas sicut ceterarum rerum angustis et breui-
bus terminis cluditur, sed is est orator qui de omni quaestione
pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere pro digni- 25
tate rerum, ad utilitatem temporum, cum uoluptate audientium
possit. hoc sibi illi ueteres persuaserant, ad hoc efficiendum 31
intellegebant opus esse non ut in rhetorum scholis declama-
rent nec ut fictis nec ullo modo ad ueritatem accedentibus
controuersiis linguam modo et uocem exercerent, sed ut iis
artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de ho- 5
nesto et turpi, de iusto et iniusto disputatur; haec est enim
oratori subiecta ad dicendum materia. nam in iudiciis fere
de aequitate, in deliberationibus de utilitate, in laudationibus
de honestate disserimus, ita tamen ut plerumque haec inuicem
misceantur; de quibus copiose et uarie et ornate nemo dicere 10
potest nisi qui cognouit naturam humanam et uim uirtutum
prauitatemque uitiorum et habet intellectum eorum quae nec

39,1 uidebitur *Vrsinus*: uidetur *codd.* | 2 *post* tamen *sequitur in codd.* uel ideo ut rideatur (ridear AB) | aeloquentiae V_2 | paruulas istas cellas *scripsi*: paenulas (penulas V_1V_2) istas *codd.* | astricti $BCDEV_1$ | 4 uirum C | 5 auditorie EV_2 | tabulariae CV_2 tabularię E fabularię A | ferre D | 6 aequos C | 6/7 et [partes] spatia D | spacia V_1V_2 | 7 est *om.* HV_1 | aliquis] alius HV_1 | 8 soliti fruantur V_2 (*sed corr. in margine*) | 9 ipsa CEV_2 | imo BE ymo V_2 | diligens V_1 | 10 quia] quod V_1 | quando HV_1p: ł quam quando AB .s. cam quam quando C (.s. cām *add.* c) quam quando D quam EV_2 | incipias A | 11 est *om.* D | 13 aut alter] ac aliter V_1 | assistit $BCDEV_1$ | patronus *huc transposui, cum legatur in codd. post* silentium *v. 12* | 14 plausu V_2 | opus est frequenter probationibus et uelut V_1 | quoddam V_2 | 15 thetro V_2 (*corr. in margine*) | cotidie V_2 | 16 coarctarent BE | clietele D inclientelae V_1 | 17 et] ac B | etiam] et V_1 | partis HV_1 | 18 italie V_1 | adsistere V_2 assisteret BCD assiscoret V_1 | plaerisque V_1 | uitiis D | 19 .po. ro. B populus Ro. V_2 | 19 qui iudicarentur D | 20 gaium cornelium V_2 | marcum scaurum V_2 | titum milonem V_2 | l. bestiam V_2 | 21 P. uatinium V_2 | 23 potuerunt V_2 | *post* potuerint *sequuntur in codd. haec*: itaque hercule (hercle CD) eius modi libri extant, ut ipsi quoque qui (*om.* DV_1) egerunt (*corr. ex* egerint B) non aliis magis orationibus censeantur. Cf. de hoc loco adnotationem meam.

40,1 conciones $BCDV_1$ | assidue V_1 adsidue (*supra* i *rasura*) V_2 | ius quoque HV_1 | 2 quenque ACE | inimiciciarum AV_1 inimititiarum D | 3 plurimum V_1 | Publio D publio V_2 | Quidem V_1 | scipione V_2 | L. *ins. Ritter* | Sylla $ABEHV_2$ Sila CDA Silla V_1 | 4 cn. V_2 G. AV_1 Gn. B | pompeyo V_2 | abstinuerunt V_1 | incensendos D incendendos V_1 | 5/6 quoquo modo, ut histriones, aura populi uterentur *scripsi*: populi quoque et histriones auribus uterentur *codd.* | 6 quantum] quem D | ipsis quoque qui non egerunt *ego addidi respiciens uerba quae in fine cap. 39 leguntur*: ipsi quoque qui egerunt non | 7 itaque hercule *ego inserui (ex fine* cap. 39.) | 8 ociosa $ABEV_1V_2$ | otiosa re et quieta loquimur D | 9 ista V_1 | aeloquentia V_1V_2 | 10 uocant *Heumann*: uocabant *codd.* | 11 sanitate *Orelli*: seruitute *codd.* | 12 temerarius EV_2 | adrogans V_2 | 13 Lacedemoniorum D lacedemonum V_2 Lacedemonium V_1 | 14 craetensem V_1 | accepimus CDV_1: accipimus $ABEHV_2$ | 15 ne D: nec *ceteri* | macedonum DV_1V_2 | 16 persarum V_1 personarum D

aut] ac V_1 | ullius *EHV*$_1$: illius *ceteri* | 17 rhodii V_2 rodii *D* | 18 Athenieses *D* athenienses V_1V_2 | athenienses plurimi V_1 *H* | oratores Athenienses *B* | 20 erauit *D* | dissentionibus DV_1 discensionibus *A* | 22 nulla-moderatio *om.* HV_1 | indutiis *D* | 24 aeloquentiam V_2 aeloquentiam sine dubio (*repetitum*) V_1 | sicut indomitus *ed. Ald. a.* 1534 : sicuti indomitus *p* sicuti domitus *ABCDEHV*$_2$ sicuti Domitius V_1 | habet] heret V_2 | 25 herbas *B* | laetiores *Rhenanus*: latiores *codd.* | tanti *Rhenanus*: tanta *Ven.*, tuta *ceteri* | rei. p. V_2 .r. p. *B* resp. V_1 | Graccorum *D* Grecorum *E* graecorum V_2 gracchorum V_1 | 26 eloquentia[m] *D* aeloquentia V_1V_2 | bone *A* bonae V_1p bene *B* (bonę *b supra uersum add.*) | famam *Muret*: formam *codd.* | 27 aeloquentiae V_2 aeloquentie V_1 | cycero V_2

41,2 antiqui fori nunc *scripsi*: antiquis oratoribus forum (horum *CEV*$_2$) *codd.* | emendatae *Lipsius*: emendare *codd.* | 3 compositae *ABCE* coposite V_1 | quis enim *CJEV*$_2$: quid enim quod nemo *B* Quidem quod nemo *A* quidem quod nemo HV_1p quis enim quidem quod nemo *D* quas enim quod nemo *Ven.* | 4 municipium *om.* V_1 | clientelam *Pithoeus*: ciuitatem *codd.* | 6 agitatur V_2 | prouintiam DV_2 | 7 haec praeuerti *scripsi*: non queri *codd.* | uendicari *A* iudicari V_1 | *post* uindicari *uni uerbo spatium uacuum relictum est in* V_2 | 9 sicut inter sanos *bis scr.* V_2 | 10 inde *pro* tamen *AB* | usu *D* | 11 his EV_1V_2 | 12 ualetudine V_2 | a soluberimis *D* | 13 honor *Orelli*: horum *codd. om. A* | obscurior *CJEV*$_2$ | 14 in senatu longis *D* | 15 optimi *Rhenanus* optima *codd.* | 16 concionibus *BC* | r. p. *B* re. p. V_2 | 17 et sed V_2 (*sed* et *m. II deletum*) | sapietissimus *D* | 18 acusationibus *D* | precetur V_1 (*sed corr. m. I*) | 19 [orationibus] defensionibus *B* deffensionibus *D* | 20 clemencia V_2 | 21 uri *C* | 22 seculis V_1 | 22 illi *Halm*: isti (isti[s] *D*) *codd.* | mirantur *D* | ac] aut V_1 | 23 deus V_2, *sed corr. m. II in* de|iis | aliquis *corr. ex* aliquid *D* | tempora *scripsi*: uitas ac (et *E* aut V_1) uestra tempora *codd.* uitat (*in marg. corr. in* uitas) uestra tempora V_2 | mutuasset V_1, *sed* u *del.* | 24 aeloquentia V_1V_2 | 25 adsequi V_2 | 26 bono *om.* V_1 | seculi V_1 | 27 ulatur *C*.

42,1 inierat *A* (*locus litterae initiali relictus*) | tum V_1V_2p | Messala *BCE* messala V_2 | 1/2 contradicem V_1 | 2 de *om.* V_1 | uelem *D* | 3 iet *A* (*locus litterae initiali reseruatus*) | 4 his DEV_1V_2 | 5 adsurgens V_2 | conplexus V_2 | 6 Messala *BCEV*$_1$ Mesalla *D* messala (o *m. II suprascr.*) V_2 | antiquariis *p*: cum antiquariis *codd.* | 7 nos V_1 | rethoribus DV_2 | scolasticis *ADEV*$_2$ | arrisissent *BCDEV*$_1$

Ego tantum repperi et meliusculum feci. CORNELI TACITI DE ORATORIBVS EXPLICIT FELICITER *A* FINIT FINIT FINIT *B* τέλος *C* CORNELII. TACITI. DE. ORATOR. DIALOG.° EXPL> *E* finis V_1 (*posteriore manu additum est*: Deesse uidentur non pauca) Cornelii taciti de oratoribus explicit · · V_2

Adnotationes.

1,10 *si mihi mea*] si mea mihi Schulting (Mähly).

15/16 ***cum singuli diuersas uel easdem sed probabiles causas afferrent, dum formam ..... redderent***] Locus magnopere perturbatus, cui uariae sunt a uiris doctis adhibitae medendi rationes. Roth (John, Wolff) proposuit: *diuersas, sed easdem probabiles*, J. H. Müller: *diuersas rei eiusdem sed probabiles*, Heller: *non easdem sed probabiles*, Peter: *diuersas uel easdem partes agerent, sed probabiles*, Halm deleri uoluit verba: *uel easdem sed probabiles*, Nipperdey (Schöll): *uel easdem*, cum alii uiri critici sanum esse hunc locum censerent.

Quid uero? Haeccine scripsisse Tacitum? Dixisse simpliciter *causas* pro eo quod sententia necessario postulat: *causas corruptae eloquentiae*? atque ut hanc dubitationem mittamus, has causas appellasse *diuersas*? Nonne potius — quod iam ab Andreseno monitum — *uariae* quam *diuersae* dicendae erant causae, quas Maternus et Messala afferunt in dialogo nostro. Age uero quid sibi uult illud *easdem*? Nusquam, si perlustramus ea, quae Aprum, Secundum, Maternum, Messalam dicentes facit scriptor, quidquam inueniemus, quod spectantes illos uiros *easdem* causas proferre recte dicere possimus.

Difficillimum quamquam est certum iudicium facere de hoc loco incredibiliter contaminato, tamen proxime mihi uideor accedere ad genuinam lectionem uerbis *diuersas uel easdem, sed probabiles causas* prorsus e contextu eiectis. Suspicor enim haec uerba recepta esse a librario, qui nonnullas adnotatiunculas ad marginem libri scriptas male intellexit. Erat enim, nisi fallor adnotatum ad uerbum *afferrent*: *s. probabiles causas* i. e. *scilicet prob. c.*, qua adnotatione sciolus quidam supplere uoluit, quod ei deesse uidebatur. [Postea compendium

s. (scilicet) siue per ignorantiam siue per neglegentiam librarii corruptum est in *s*; *(sed)*, quod uitium saepius in libris mss. deprehenditur cf. 35,9 *sed in quem* codd., recte Acidalius *scilicet in quem*]

Vocabula autem *diuersas uel* <*easdem*> orta esse uerisimile est ex *diuersas* h. e. *uel diuersas* <*partes*>, quae erat pars uariae lectionis ad *diuersam* <*partem*> (v. 18/19) adscriptae. Tum permutato ordine uerborum *(diuersas uel)* et conjunctis his uerbis cum altera adnotatione: *sed probabiles causas* ex ingenio suo addidit interpolator, quod post *uel* requirebat: *easdem*, quae tamen coniectura iam librario codicis illius uetustioris, unde multae in codices E et V_2 fluxerunt lectiones, adeo non satisfecit, ut quo manifestior esset oppositio pro *uel easdem* conicceret *quidem*.

Sublatis igitur foedis illis interpolationibus haec reliqua sunt: *cum singuli afferrent dum formam . . . redderent*, quae ego intacta reliqui, nisi quod uerba *dum* et *afferrent* transposui, quo facto hic est sensus totius loci: So bedarf es also nicht des Scharfsinnes, sondern nur des Gedächtnisses und der Erinnerung, um das, was ich von jenen trefflichen Männern an Gedanken und Worten geistreiches und gewichtiges reden hörte, jetzt in der gleichen Weise und mit denselben Begründungen — denn Jeder von ihnen gab sich während des Vortrags (dum adferrent, *scil.* excogitata subtiliter) ganz nach seinem Naturell und seiner geistigen Eigenart — hier wiederzugeben.

18,19 *diuersam quoque partem*] Lectio altera *diuersas partes* (uide supra) eo facilius oriri potuit, quod post *parte* sequitur *s* <*usciperet*> et quod pluralis numerus *partes* eo qui hoc loco postulatur sensu multo saepius quam singularis usurpari solet. cf. c. 28,3 sed mihi partes assignatis. Cic. Verr. II 10 multo plures partes mihi defensionis quam accusationis suscepisse uideor, ib. IV 79. IV 81. Sest. 3 atque ego sic statuo, iudices a me . . pietatis potius quam defensionis . . . doloris quam ingenii partes esse susceptas. l. 45 § 2 D. 3,3 defensoris partes sustinere l. 5 § 19. 20 D. 39,1. Sen. ep. 28,7 accusatoris partibus fungi. 18,2 arbitri partibus fungi.

2,2 tamquam *non* in eo tragoediae argumento *Sauppe* (Philol. XIX p. 263)

7 *utrosque assectabar*] *utrosque* in codd. inter *non* et *modo* traditum cum Knautio huc retraximus. De parataxi, quae uocatur cf. Grosser in Zeitschrift f. d. G.-W. 1884 p. 513 sqq.

3,2 *ipsumque quem*] *que* censor ed. Walther. addidit, sine dubio recte. nam quod cod. E praebet *ipsum ac quem* id suo more ex ingenio librarium finxisse apparet.

6 *apprehendisti*] deprehendisti V_1. Vitium ortum e similitudine litterarum *a* et *d̄* (*de*) cf. 28,12, ubi solus corrector codicis B recte *de*, omnes codices autem *a* praebent. Dubitari igitur non potest, quin etiam in fine cap. 38 cum CDEH V_1V_2 scribendum sit: *sicut omnia alia* (*alia omnia E*) *pacauerat*, non cum AB *sicut omnia depacauerat*, (*deparauerat B*), quam scripturam nonnulli editores (Gudeman, Peterson) recipiendam esse censuerunt. Nam ex *aa* (*alia*) *pacauerat* postquam absorbuit litteras *a* antecedens uocabulum *omnia*, ortum est *apacauerat* uel potius *dpacauerat* (*depacauerat*). Similiter uariant codices Liuii in l. 35,42 inter *adferebat* et *deferebat* et in l. 38,45 inter *desumpseras* et *assumpseras*.

9 *tum ille*: *quidquid sibi debuerit, ea agnosces, quae audisti*] Germanice: was auch immer er (*sc.* Cato) sich schuldig geblieben sein wird, du wirst das wiedererkennen, was du gehört hast i. e. welche Mängel auch immer ihm anhaften mögen, ich werde ihn unverändert erscheinen lassen. Qua correctura genuinam scriptoris manum restituisse mihi uideor. Nam in eis quae codices praebent hoc loco: *tum ille leges tu* (*om.* C.) *quid* (*quidem H* V_1) *Maternus sibi debuerit et agnosces quae audisti* duo potissimum uitia admissa sunt a librariis. Apparet enim scripturam *tu Maternus* i. e. *tū Maternus* nil nisi uariam lectionem esse uerborum: *tum ille*, quae lectio facillime oriri potuit, cum in libris pro pronomine a librariis nomen ipsum substitutum esse saepius uidere liceat. Alterum autem uitium latet in *leges*, quo verbo interpretari uoluit nescio quis uerbum *agnosces*. His duabus interpolationibus sublatis reliqua sunt verba:

tum ille: *quid* <*quid*> *sibi debuerit et* (*ea*) *agnosces q. a.*

quae lenissima illa quam uncis apposui medela egent, ut

recte procedat oratio et sensus efficiatur aptissimus. — Uberius de hoc loco disseruerunt Nipperdey in Mus. Rhen. XIX p. 270, Halm ib. XXVIII p. 499, Bährens ib. XXXI p. 309, quorum ille coniecit: *leges, inquit, si libuerit*, Halm: *leges, inquit, quid Maternus sibi debuerit*, Bährens: *leges tu quae audisti et agnosces quid Maternus sibi debuerit.*

20 *ut Domitium et Catonem id est nostras quoque historias et Romana nomina Graeculorum fabulis aggregares*] Nescio an delenda sint uerba: *Domitium et Catonem id est.* Sapiunt enim adnotatiunculam a glossatore explicationis causa hoc modo adscriptam:

id est Domitium et Catonem
Romana nomina

5,2 *probi et modesti iudices*] Halm, Helmreich, Michaelis Müller, Peter, Peterson aliique auctoritate codicum ABE permoti scribi maluerunt *moderati.* At memores simus necesse est in recensendo dialogo deprehendi in codicibus interpolationes non paucas, ortas e glossis a librario quodam explicandi uocabuli cuiusdam causa adscriptis. Sic id quod codd. H,V_1 et corrector cod. B exhibent 5,26 *praesidio* glossema esse uoci *perfugio* adscriptum per se apparet cf. Corp. gloss. Lat. IV p. 551,49 (Gloss. Affatim) *Praesidium profugium uel auxilium* et ibid. p. 154,1 (gloss. cod. Vatic. 3321) *Praesidium perfugium uel auxilium.* 28,7 in D legitur *ignorantia* pro eo, quod ceteri omnes codd. habent *inscientia.* Illud glossema esse quiuis uidet. cf. Corp. gloss. Lat. IV p. 414,1 (gloss. Ab absens) *Inscitia ignorantia.* Eodem hoc uocabulo ab Acrone in Hor. carm. II, 1,81 *inscitia* explicatur. 26,30 legitur in B *laederet*, quod quin glossa sit uerbi, quod ceteri codices praebent, *offendere*, non est dubium cf. Corp. gloss. Lat. IV p. 131, 42 (gloss. cod. Vat. 3321) *Offendit impediat uel lesit.* Ibid. p. 543,49 (gloss. Affatim) *Offendit inpigit uallesit* (i. e. *uel lesit*). Eidem uel aequali sapientiae debentur insiticia additamenta 31,13 *continentur* (B) pro *numerantur* et 41,19 *orationibus* pro *defensionibus* (B) quo tamen loco ipse librarius errorem suum animaduertit et correxit.

Quae exempla cum perlustramus, facere non possumus quin etiam nostro loco *moderati* glossema esse uocabuli

modesti statuamus. Sed ne ulla dubitatio de hac re relinquatur, afferam, quae inueniuntur glossae sub uoce *modesti* in quibusdam glossariis. Corp. gloss. Lat. IV p. 118,44 (gloss. cod. Vat. 3321):

Modestus et moderatus (*modestus* cod.) *et placidus unum est*

Ib. p. 258,42 (gloss. cod. Sang. 912)

Modestus moderatus rectus

Ib. p. 538,25 (gloss. Affatim)

Modestus et moderatus unum est.

11. *ego enim*] *et* (*ex E*) *ego enim* codd. Quominus cum Orellio Ribbeckioque scriberem *etenim ego*, quae coniectura probabilitate palaeographica commendatur, me impedit Taciti usus loquendi. nam — si omittis eos locos quibus parenthetice usus est coniunctione *etenim* — perraro illam adhibuit, nusquam autem dixit *etenim ego*, quam locutionem et Cicero uitasse uidetur (nusquam enim *etenim ego*, contra *ego enim* in scriptis philosophicis duodecies, in orationibus decies sexies deprehenditur). neque Seneca philosophus usus est locutione *etenim ego*, contra *ego enim* de uit. beat. 10, 1 et 18, 1. Qua de causa nostro quoque loco *ego enim* tenendum esse puto, praesertim cum haec locutio ipso in dial. 16, 1 legatur. Ortum est sine dubio insiticium illud *et*, quod iam in exemplo archetypi exaratum fuisse uidetur, errore librarii qui *et enim* scripserat pro *e*^{o} *enim* i. e. *ego enim*. Postea correctura (*ego*) superscripta a nescio quo temerario non deleto uitio (*et*) textui est illata.

11 *quatenus arbitrum huius litis inueniri, non patiar* et q. s.] Sic codd. Non *inueni*, quod auctore Pithoeo Michaelis, Nipperdey, Halm aliique uiri docti receperunt, sed *inuenimus* ex eo, quod codices omnes habent *inueniri*, cum Wagenero emendandum esse putaui, quia non solum Aprum ipsum, sed etiam Maternum arbitrum inuenisse apparet. (Vitium *inueniri* eo facilius oriri potuit, quod librarius interpunctione sublata infinitiuum expectauit pendentem e *non patiar*. Sic *inueniri* scripsit pro *inuenim'* i. e. *inuenimus.*) Sed altero quoque uitio laborat hic locus. Ea enim quae leguntur in enuntiato causali nullo modo cum iis quibuscum cohaerent congruere uidentur. Nam

si Aper arbitrum esse inuentum dicit, nonne expectamus eum non tam suo iudicio suaque uoluntate rem agi uelle quam arbitrio illius? Haec repugnantia sic uidetur componi posse, ut post *arbitrum* epitheton ornans quoddam (uelut *aequum*, *modestum*, *rectum* uel *iustum*) excidisse statuamus. Quo addito sensus hic est: quoniam arbitrum iustum inuenimus, ego non patiar — scilicet id quod et ipse arbiter ut est iustus nullo modo concedere potest — Maternum societate plurium defendi.

13 *sed ipsum solum apud eos* (*ipsos D*) *arguam*] Pro *apud eos*, quod ferri non posse luce clarius est, permulta a uiris doctis excogitata sunt. Lipsius coniecit *apud nos*, Weissenborn *apud te* (*coarguam*), Meiser et Ribbeck *apud te o Secunde*, Andresen: *apud se* (*coarguam*). Mihi uitium codicum non tam in uocabulo *eos* quam in *apud* latere persuasum est. Inuenit librarius archetypi, ut suspicor, in exemplo, a quo descripsit, uerba *apte eo* i. e. *aperte eo*, quae compendio non intellecto corrupit in *aput* (*apud*) *eos*. Dicit igitur Aper se non dissimulanter i. e. uniuersam poetarum societatem arguendo, Maternum aggredi velle, sed aperte sibi rem esse solo cum eo. cf. Min. Fel. 4,3 Tum ille: Jam dudum me Octaui nostri acriter angit et remordet oratio, qua in te inuectus obiurgauit neglegentiae, ut me dissimulanter grauius argueret inscientiae. Liu. 40, 15,10 aperte accusare. 40, 14,9 aperte adgredi.

21 *quid est tutius*]. Acidalius coniecit *utilius*. Haud scio an scribendum sit: *quid est stultius quam eam non* (*eā n̄*) *exercere artem* et. q. s.

26 *perfugio*] H V_1b *praesidio* cf. ea quae ad u. 2 adnotaui.

6,3 *cuius iucunditas non uno aliquo momento sed omnibus prope diebus ac prope omnibus horis contingit*] Sic codd. locum exhibent. Quae verba quam sint inepta, Andresen primus, nisi fallor, in Emend. p. 170 uberius demonstrauit. neque tamen altero *prope* (ante *diebus*) deleto, quod vir ille doctus proposuit, difficultatem sublatam esse crediderim. Nam cum iucunditas oratoriae eloquentiae non modo non omnibus *horis*, sed ne omnibus quidem *diebus* Romanis contingere soleret, mihi quidem prorsus incredibile uidetur Aprum utpote coram

auditoribus satis eruditis loquentem per tantam quae dicitur ὑπερβολήν id uel tale quid inepti dicere potuisse quod legitur in mss.

Scripsit, ut uidetur, auctor: *sed omnibus prope diebus oratori contingit.* Omissis per homoeoteleuton uocabulis *prope diebus* et postea superscriptis *sed omnibus* turbato ordine uerborum orta est altera lectio: *sed prope omnibus diebus.* unde factum est, ut nescio quis ad marginem codicis uel inter uersus adnotaret: *al. prope omnibus,* quae lectio corrupta in *ac prope omnibus* textui inserta est. Quo facto librarius uocem *oratori* (*oṛi*), ut sensum eliceret verbis, mutauit in *horis.*

19 *accipere affectum quemcumque orator induerit* (*induerat A B, induxerit H V*$_1$ *b*)]. Locum pulcherrime emendauit Andresen, Emend. p. 108/109 restituens *uoluerit,* quae coniectura quam sit recta, satis mihi vir ille doctus demonstrasse uidetur exemplis allatis. (Cic. de orat. I 19,56. Or. 36,125. Brut. 49,185) Huc adde: Lact. 6,21,4 oratio cum suavitate decipiens capit mentes et quo *uoluerit* impellit. Cic. de orat I 8,30. neque uero mihi quidquam praestabilius uidetur quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes adlicere, uoluntates impellere quo *uelit.* unde autem *uelit* deducere. Erroris a librario commissi causa manifesta est, cum satis constet in libris mss. saepissime litteras *ol* uel *cl* arte coniunctas simillimas esse litterae *d* cf. c. 21,19, ubi in C Δ *reddent* legitur pro *redolent* et c. 33,10, ubi *dum* i. e. *olum* pro *solum* in codd. traditum est. Idem librariorum uitium deprehendere licet apud Cassiod. Var. IX, 8, 2 *reddere* (N E ^{2} I) pro *redolere* et ib. IV, 24,1 (E ^{1}) *areda* pro *areola.*

26.28 *nam in ingenio quoque sicut in agro quamquam alia* (om. *C D*) *diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen quae sua sponte nascuntur*]. Hunc locum ualde corruptum uariis modis critici cum ueteres tum recentiores emendare studuerunt. Quorum conamina (Ernesti coniecit: *quamquam utilia* (uel *utiliora*) *diu s. a. e.,* Peerlkamp: *quamquam solidiora serantur diuque elaborentur,* Andresen: *q. solidiora quae seruntur atque elaborentur,* Ribbeck: *q. utiliora quae studiose s. a. e.,* Weinkauff: *q. dulcia quae industria s. a. e.,* Nissen: *q. et illa*

quae d. s. a. e. grata sunt, gratiora tamen, Gudeman: *q. quae diu seruntur atque elaborantur grata, gratiora tamen*, Novak: *q. grata sunt* (uel *iuuant*) *quae seruntur atque elaborantur* — alii alia) cum pleraque ipsa per se refellantur, nihil attinet hic singula recensere. Loco nostro quae offusae sunt tenebrae, omnes omnino discussae uidebuntur, si pro *quamquam alia diu* mecum scripseris: *qualiacumque sunt quae diligenter*. Cf. Ciceronis locum (ex Oecon. libro tertio) apud Macrob. Sat. II 16 neque serit uitem neque quae sata est *diligenter* colit. Corruptela *quamquam alia diu* originem duxit e duplici lapsu librarii. Nam is neque compendium *dili*^{e} i. e. *diligenter* (cf. Prou, Manuel de paléogr.^{2} 1892 p. 227) agnouit et propter homoeoteleuton (nam *que* et *quae* passim confundi in mss. res est notissima) pro *qualiacumque sunt quae* omissis syllabis *que sunt* scripsit *qualiacumquae* (*qliacumquae*), unde postea, tamquam esset *a* correctura litterae *q*, ortum est: *aliacumquae* uel potius *alia quom quae* (sic cod. C plerumque *quom* pro *cum* exhibet cf. e. g. 1,15. 5,6. 10,7. 10,38. 11,1. 16,17. 19,21), quae uerba cum prorsus sensu carerent, corrector ille, cuius uestigia saepius deprehendere licet in nostris codd., transpositione et leni mutatione corrigere sibi uisus est scribens: *quamquam alia*.

7,1 *at de me ipse fatear*|. Sic scripsi secutus auctoritatem codicum $B\,H\,V_1$, cum ceteri habeant *ipso*, quod Andresen, Bährens, Halm, Michaelis, Müller, Peter, Peterson, Wolff receperunt. At haud scio an illud commendetur usu loquendi cf. Plin. Pan. 91,22 si a se *ipse* dissentiat. Lact. inst. VI 24,1 nec tamen deficiat aliquis aut de se *ipse* desperet.

7,11 *aut apud principem ipsos illos libertos et procuratores principum tueri et defendere datur. tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus ascendere uideor tum habere* (*abire* codd., corr. Pithoeus) *quod si non in alio oritur, nec codicillis* (*in codicillis* $V_1 b$) *datur nec cum gratia uenit*|. Grauissimas ut tollerem difficultates, quibus hunc locum laborare plurimi critici intellexerunt, mutato pronomine *ipsos* in *ipsius* transposui uocabulum *principum* (quod iam L. Spengel iure meritoque

in suspicionem uocauit singularem numerum *principis* postulari iudicans). Posui illud ante *codicillis*, quo in loco aliquid excidisse, uestigium, ne dicam testimonium in V_1 et B extare mihi uidetur. Nam illud *in*, quod hi codices (B ab altera manu) ante *codicillis* habent, nonne ortum esse ex *ı·* uel *·ı·* uel *·ı·* alio eiusmodi signo, quo uocabula omissa uel lectiones uariae indicari solent in mss., maxime uerisimile est? (Cf. illa signa, quae Urlichs in editione sua Corn. Tac. Agricolae adnotauit p. 14. 16. 20. 26. 32. 34. 36. 38. 40. 46. 48. 50). Sic facile fieri potuit, ut per errorem uel negligentiam librarii vocabulum *ı· principum* ad marginem codicis adscriptum falso loco textui adderetur et pro illo signo *ı·* in capite uocis *codicillis* picto (*ı· codicillis*) scriberetur *in* (*codicillis*). Quod si recte nos statuerimus, facile est intellectu in codicum scriptura *cum gratia* nihil aliud latere quam *cīum* i. e. *ciuium gratia* (de compendio cf. Prou, Man. p. 217,8), quo reposito aptissima sententia efficitur, cum principum fauori gratia ciuium opponatur. (In eandem coniecturam quamquam diuersa ratione iam Bährensium incidisse non adnotare nolo.) At multo maiorem difficultatem praebent codicum uerba perobscura: *si non in alio oritur*, quibus emendandis multum operae frustra insumserunt uiri docti. Nec mirum; sunt enim haec uerba et incredibili modo corrupta et suo proprio loco infelici casu deiecta. Ne longus sim, suspicor in uetustiore codice scripta fuisse post uerba *nec ciuium gratia uenit* haecce:

s; *noīe dīo oritur* i. e. sed nomine*) diuino oritur

uel potius litteris falso distinctis

s: *noī edīo oritur*

quae uerba a librario parum attento aut compendiorum ignaro soluebantur in: *si non in alio oritur*.

*) i. e. numine, quae vocabula creberrime in libris permutari solent cf. ann. I 73 nomen Augusti *codd.*, correxit *Freinsheim*. Ennod. (ed. Fr. Vogel *in* Mon. Germ. Hist.) p. 95,4. 177,19. 221.22,31. 273,2, quibus in locis omnibus *nomen* pro *numen* codd. exhibent. Item Sen. rhet (ed. Burs.) p. 78,5. 80,4. 173,23. 423,16. Symm. Relat. 2,3 (ed. Seeck p. 280,15). Corp. gloss. Lat. IV p. 126,39 Nomen maiestas uel iussio. Hor. ep. II 1,16. carm. III. 21,5 Vice uersa *numen* pro *nomen* codd. vel pars codicum praebent his locis: dial. 11,11. Symmach. Relat. 3,7 (p. 281,34)

Vitia, in quae incidit librarius, quamquam primo obtutu gravia uidentur, leuioris sunt momenti. Nam pro *s*; (*sed*) facile legi poterat *si* (uice uersa 27,11 exhibet V_2 *sed* pro *si* al. si cf. etiam 26,33. Catull. ed. Bähr. 66,35, ubi G praebet *sed*, 85,2. Caes. b. c. I, 85,12 Hor. ep. I, 1,58), item ex *dīo* i. e. *diuino* (cf. Prou, Man. p. 227,17) aut, si littera ultima antecedentis uocabuli (*e*) arte cum eo erat coniuncta, ex *edīo* facillime *eclīo* (nam *d* saepissime in mss. simillimum esse *cl* litteris notissimum est cf. 6,22 quodclam V_2 pro quoddam, 8,28 ne deguntur V_2 pro nec leguntur, 16,21 Hypericlem B pro Hyperidem, 25,12 Hypericles B, 16,13 hisdam EV_2 pro his clam, 28,2 scło C pro scđo (secundo), Sen. rhet. (ed. Burs.) p. 363,2 diuo pro cliuo, p. 413,5 dicentem pro clientem) uel uirgula neglecta *eclio* et inde ex similitudine litterarum *ec* cum *a* (cf. ea quae adnotaui exempla ad 16,26) nullo negotio oriri potuit *alio*. Iam uero omissum esse hoc enuntiatum a librario non est, cur miremur. nam duobus uerbis in *-it* exeuntibus (*uenit—orit* (*oritur*)) oculi librarii ab altero *-it* aberrauerunt ad alterum.

De sensu, quem his leuissimis emendationibus receptis habemus, nihil addam, nam sententia plane dilucida est et quae nobis saepius obuia fit in antiquitatis scriptoribus. Sic apud Ciceronem in or. pro Arch. 8,8 legimus: atqui sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia et doctrina et praeceptis et arte constare: poëtam natura ipsa ualere et mentis uiribus excitari et quasi diuino quodam spiritu inflari. Et de or. I 46,202 in hunc modum loquitur Cicero: non enim causidicum nescio quem neque proclamatorem aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus, sed eum uirum, qui sit eius artis antistes, cuius cum ipsa natura magnam homini facultatem daret, tamen adfuisse deus putatur, ut id ipsum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, sed diuinitus ad nos delatum uideretur. Cf. et Quintil. X, 7,14 deum tunc affuisse ueteres oratores, ut Cicero dicit, aiebant. Sen. de tranq. an. 15,16 non potest

Corp. gloss. Lat. IV p. 464.8 (Gloss. Vergil.) Sine numine sine dignitate cf. Schuchardt, Vulg. Lat. II, 110. Rönsch, Itala u. Vulg. p. 464.

grande aliquid et supra ceteros loqui, nisi mota mens. cum uulgaria et solita contemsit instinctuque sacro surrexit excelsior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali. Quintil. X, 1, 81 multum supra prosam orationem et quam pedestrem Graeci vocant surgit (*sc. Plato*) ut mihi non hominis ingenio sed quodam Delphico uideatur oraculo instinctus. Ib. 83 in Theophrasto tam est loquendi nitor ille diuinus, ut ex eo nomen quoque traxisse dicatur. (numen diuinum Cic. pro Mil. 29, 83, de nat. deor. I, 9,22. Lucr. I, 154. V, 122. VI, 91. Cic. Arat 305. Manilius I, 484.)

Restat ut emendationes aliorum quamquam pleraeque per se refelluntur sub uno conspectu ponam. Sunt autem hae: Ritter *aliquo* (pro *alio*), quam coniecturam receperunt Halm, Peter, Wolff; Freinsheim *animo* (Haase, Müller, Peterson), Ernesti *ipso*, Schopen *nobis*, Seebode *ingenio*, Gudeman *aluo* (Oberbreyer), Usener proposuit: *si non intus oritur*, Doederlein *si non in natali oboritur*, Ribbeck (deleto *si*) *quod sola indole oritur*, Andresen *si non natalibus paritur*, Bährens *si non naturale o.* Heller *si non in caelo o.* Buchholz *quod non* (vel *nec*) *metallo emitur*, Nipperdey *si non in ipso, non in alio o.*, Rutgers *quod in se, non in alio o*, Pithoeus: *si non aliunde o.* Steiner: *si non innatum o.* Meiser: *si non naturaliter o.*

15 *quibus modo recta indoles est et bona spes sui*] Sic scripsi Halmio praeeunte, cum alii auctoritate codicum permoti legendum esse censerent: *quibus modo* et *recta indoles est et bona spes sui.* At equidem non dubito, quin in codice uetustiore scriptum fuerit pro *rc̄a* i. e. *recta* (cf. Prou, Man. pal. p. 314, 17) virgula omissa *rca*, quod uitium nescio quis ita correxit, ut litteras quae deesse ei uidebantur super truncam uocem adnotaret $\binom{et}{rca}$. Postea uero aliquis uirgulam quoque restituit $\binom{et}{rc\hat{a}}$. Inde factum est, ut illud *et* a librariis et ante (ACDΔV$_2$) et post (B) vocabulum *recta* textui inculcaretur, cum in altera classe (V_1H) pro correctura acceptum litteras, quibus erat superscriptum, prorsus tolleret. Quod H praebet *quibus* $\bar{q}$ ..... *et indoles*, id ortum esse putauerim ex *quibus morum et indoles*, quo signo ($\bar{q}$ i. e. *quaere* cf. Auct. belli Afr. ed.

Wölfflin. p. 3. 33. 50. 98. 105. 142) librarius indicare uoluit locum esse dubium.

8, 4 *non minus illustres esse*] Sic cum Ribbeckio scribere malui quam cum Ursino *notos* ante *esse* supplere, quia uocabulum *illustres* (per compendium scriptum *illusts* eoque fortasse corruptum et discerptum in *illus es*) illo loco facillime excidere potuisse per se apparet.

20 alterum *principes* uncis inclusit Helmreich.

23 *intelligit et ceteros*] codd. Deleuit *et* Puteolanus, cum C. Knaut librorum auctoritate permotus uerbum aliquid post *et* excidisse suspicaretur. Coniecit *intellegit et sentit.* At codicum scriptura sic explicanda esse uidetur, ut statuamus librarium primo scripsisse cum metathesi litterarum *intelliget* pro *intellegit.* Tum uero terminatio recta *-it* superscripta est (*intelliget*). Sic correctura non deleto uitio in textum migrauit.

32 *ab ineunte aetate*] Cum codex Farnesianus habeat *ab ineunte aetate adolescentia* dissensio inter uiros doctos est orta, utrum scribendum sit *ab ineunte aetate* an *ab ineunte adulescentia.* Hoc receperunt uel defenderunt Andresen, Bährens, Halm, John, Müller, Peter, Peterson, Wolff, illud Heraeus, Gudeman aliique, quorum ego quoque secutus sum sententiam, quod per se uerisimilius esse mihi uidetur vocem *aetate* explicatam fuisse interpretamento *adulescentia* quam uice uersa. Inueniuntur utique in glossariis quibusdam glossae, quibus locutio *ab ineunte aetate*, nulla, nisi fallor, qua *ab ineunte adulescentia* explicatur, cf. Corp. gloss. Lat. IV p 404, 3 (gloss. ab Absens). Ab ineunt aetate ab infantia, ibid. p. 3, 23 (gloss. cod. Vat. 3321). Ab ineunte ętate ab ipsis rudimentis infantię, ibid. p. 471, 36 (gloss. Affatim). Ab ineunte aetate ab ipsis rudimentis infantiae.

Ceterum et usu loquendi argenteae quae uocatur aetatis locutio *ab ineunte aetate* commendari uidetur cf. Plin. ep. 1, 19, 1. 5, 16, 8. 10, 4, 1.

9, 1,3 *nam carmina et uersus ... neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant neque utilitates alunt*] codd. Latinum esse *utilitates alere* haud facile cuiquam persuadebis nedum

exemplis demonstrare poteris. Plane utique abhorret haec locutio cum ab aliorum scriptorum tum Taciti usu loquendi, qui plurali numero (*utilitates*) semel tantum in annalibus usus est. Qua de causa uerbo *alunt* deleto cum Ribbeckio (Mus. Rhen. XXVIII p. 502), qui coniecit *utilitatem solidam*, aliisque singularem numerum restitui. De codicum corruptelae origine haec suspicor: Ad uocem *uoluptatem* uaria lectio *uoluntatem*: — quae uocabula a librariis passim confundi inter omnes constat cf. e. g. Cic. de orat. II. 22,92, de off. I,90, Lael. 25, 91. Parad. 5,2,39. Min. Fel. 2, 4. Quintil. II, 10, 10. X, 5, 11, Arnob. adv. Gent. III, 10. IV, 32, 62. Symm. Relat. 3, 2. Hist. Aug. (ed. Jord. et Eyssenh.) I, p. 184, 17. Hor. carm. I, 27, 13 — adnotata fuit hoc modo: *uoluptatem*, quae lectio interpunctione post *al.unt* neglecta corrupta est in *alunt*, quod quin postea leui librarii errore textui insertum sit, non est cur dubitemus.

3 *uoluptatem autem breuem et q. s*] codd. Quoniam his uerbis explicat Aper sententiam, quae antecedit, pro *autem* scribendum esse censui *enim*, quo recepto interrumpitur series uocabulorum male sonantium (scil. in — *em* desinentium): *utilitatem uoluptatem autem breuem laudem inanem*. Quae correctura quin recta sit, eo minus dubitari potest, quod nulla paene crebrior est in libris mss. permutatio quam coniunctionum *enim* et *autem*, quorum compendia in quibusdam codicibus uetustioribus simillima fuisse satis certum est. cf. Caes. b. c. II, 18, 6. Cic. de off. I, 85. II, 22. III, 117. ad Att. 4, 1. Liv. 6, 18, 6*), in dialogo nostro deprehenditur hoc uitium etiam 28, 17, quo loco Ribbeck (Mus. Rhen. XXVIII (1873) p. 506) *enim* restituit et 32,2, ubi Rhenanus mendum sustulit. cf. 25, 13.

4 *consequuntur*] Ribbeck auctoritate codicis D permotus, qui habet *consequentur*, coniecit *consequontur*, quam formam Bährens textui dialogi intulit. Quod num recte fecerit, ualde

*) Zingerle (Zeitschr. f. d. österr. Gymn. 1889 p. 984) ad hunc locum adnotat: Ich fand in den ältesten Hilarius-Hdss. schon vom 6. Jahrh. ab kaum ein Schwanken häufiger als das zwischen *enim* und *autem* und auch in der Ueberlieferung des Livius ist dasselbe nicht ohne auffallende Beispiele vgl. z. B. den Apparat meiner Ausgabe zu 35, 40, 4, wo jüngere Hdss. *enim*, der Bambergensis *autem* bieten.

dubito. Nam illud *consequentur* codicis D ortum esse ex errore librarii admodum uerisimile est, qui pro *consequūtur* (*consequuntur*) legere sibi uisus est *couseq̄ntur* i. e. *consequentur*.

20 *omnis illa laus intra unum aut alterum diem uelut in herba uel flore praecerpta* (*percepta ABEHV*$_1$ *praecepta* ceteri codd.) *ad nullam certam et solidam peruenit frugem*] Unum potissimum est incommodum, quo uulgata haec scriptura premitur. Nempe si dicitur laudem oratorum intra unum aut alterum diem *praecipi* uel — quod in codicum scriptura latere uidetur — *praecerpi* (cf. Plin. V, 20, 8 prouidendum est mihi ne gratiam nouitatis et florem, quae oratiunculam illam uel maxime commendat, epistulae loquacitate *praecerpam*. Cic. Verr. IV, 80 non *praecerpo* fructum officii tui), quomodo pergi potest eam ad nullam certam et solidam frugem peruenire? Nonne hoc luce clarius est aliquid quod in flore praecerptum est i. e. quod periit, omnino non posse peruenire ad frugem, nedum ad certam et solidam frugem? Dedi, ut locum corruptum emendarem, quod proxime ad codicum lectionem accedit: *praecerpitur aut* (*praecerpiť ā*, cf. Prou, Man. paléogr. p. 202, 1) *ad nullam et q. s.* Coniunctio *aut* hoc loco, ut saepe fit, artioris sensus membrum opponit significans *aut certe*, *aut saltem* cf. Lact. inst. 6, 12, 17 aut nullam aut certe non magnam laudem meretur.

Opponuntur sibi hoc loco *flos* et *fruges* ita, ut hist. V, 7 nam cuncta sponte edita aut manu sata *siue herba tenus aut flore seu solidam in speciem* adoleuere, atra et inania uelut in cinerem uanescunt. Fronto, epist. ad Ant. imp. 1, 5 (ed. Nab. p. 102) Egone qui indolem ingenii tui *in germine* etiamtum et *in herba* et *in flore* dilexerim, nunc *frugem ipsam maturae uirtutis* nonne multo multoque amplius diligam? Lact. inst. VII, 16.6 cum in *flore* spem maximam dederint, in *fruge* decipient.

10, 2 *quod unum esse pretium laboris sui fatentur*] Sic B, cum ceteri codd. praebeant post *pretium* aut *omnis* (AE), aut *omnes* (C), aut *inquit omnes* (D). Secutus sum cod. B auctoritatem, cum ortam esse ceterorum codicum scripturam iudicem e lectione uaria *omnes* super *oratores* (u. 3) adnotata. horum enim vocabulorum compendia, ut simillima, facile a librario permutari poterant. Similiter erratum est 31,21, ubi *A* et *B*

(a. m. II) praebent *orationem omnem* pro *orationem*, cum in exemplari illo, unde fluxerunt A B, exaratum fuisse uerisimile
orationem
sit hoc: *omnem* i. e. *omnem* cum correctura *orationem*.

5 *rarissimarum recitationum*] codd., *clarissimarum* Steiner, *rarissima harum* Andresen, *uel rarissimarum* Bährens, *harum* Sedlmayr (Wiener Studien II 153), qui codicum scripturam *rarissimarum* conglutinatam esse suspicatus est ex *harum* et ex *rarissime*, quod glossema lector quidam, ut responsum daret interrogationi rhetoricae, apposuit.

10, 11 *quibus natura sua oratorium ingenium denegauit*] codd. Peruersam esse lectionem *sua* primus dilucide demonstrauit Andresen (Emend. p. 171), quem frustra conatus est refutare Bährens in ed. sua. Nam exempla ab Andreseno adlata — Cic. pro Quinctio 28 cui summam copiam dicendi natura largita est; de or. I 29, 132 quae quibus a natura minora data sunt; II 29, 126; Ou. Her. 15, 31, quibus haec addo: Cic. Parad. I, 14 cum tibi siue deus siue mater, ut ita dicam, rerum omnium natura dederit animum, Sen. reth., controu. VII 16, 13 (p. 188, 16 ed. Burs.) non idem omnibus mortalibus natura tribuit ingenium, Plin. ep. VIII, 13, 1 cui natura esse te simillimum uoluit. Prisc. Phys. 2 ad postremum natura omniparens ueluti adiuncta grauditate cuncta animantia prosecuta est. est enim in omni mundo natura, quae operetur grande secretum — nonne satis certo sunt testimonio Romanis quoque persuasionem infuisse ingenium homini dari uel negari a natura i. e. a parente illa rerum omnium (Plin. nat. hist. 29, 4, 18, 65) aut ut Macrobius (Sat. V, 1) dicit, ab ipsa rerum omnium matre? — Delendum igitur molestum illud *sua*, quod ortum est procul dubio ex errore librarii, qui pro *quibus* $\overset{a}{n}$ i. e. *quibus natura* (cf. Prou. man. paléogr. p. 278, 8 et Walth., Lex. diplom. col. 221, 10.) scriptum esse in exemplari suo putauit *quibus ua*, quod — medelam a fine uocabuli antecedentis petens — correxit in *quibus sua*. Postea correctura (*natura*) superscripta factum est, ut aliquis hoc quoque uocabulum tamquam omissum textui addendum esse existimaret.

19 *ceteris aliarum artium studiis*] Profici aliquid coniecturis *altiorum* (Andresen), *leuiorum* (Bährens), *alienarum* (Ribbeck), *liberalium* (Halm) pro *aliarum* equidem nullo modo putauerim.

Scribendum immo potius simpliciter credo: *ceterarum artium studiis* (cf. Cic. de or. I, 3, 12 quod hoc etiam mirabilius debet uideri, quia *ceterarum artium studia* fere reconditis atque abditis hauriuntur). Causa erat corruptelae hoc quoque loco uaria lectio supra uersum adnotata. Exarata enim erant, ut suspicor, *al. arum*
in codice illo, unde fluxit archetypus, haec: *ceteris artium studiis*, quibus is qui adnotauit significare uoluit in aliis codicibus legi *ceterarum*. Idem uitium latere mihi uidetur in loco qui est in Germ. c. 4, 2: nullis *aliis* aliarum nationem conubiis, ubi recte *aliis* uncis inclusit Lipsius. E genuina scriptura *nullis aliarum n. c.* sine dubio per assimilationem quae uocatur ortum est: *nullis aliis n. c.*, super qua lectione uera lectio *al.arum*
postea sic adnotabatur: nullis *aliis* nationum conubiis.

20/21 *cum natura tua in ipsam arcem eloquentiae te ferat*] Halm, quem secuti sunt Andresen, Nipperdey, Peterson aliique, pronomen *te* addidit ante *tua*. Nescio an hanc emendandi rationem ipsa uerborum collocatio uetet, probabilius certe a palaeographia uidetur Acidalio auctore *te* inserere post *eloquentiae*, quod more suo librarii pinxerunt *eloquentie* (cf .e. g. in Vind.$_2$ 2, 13 *eloquentie* 2, 16 *industrie* 5, 20 *uite* et quae sunt similia) Sic facillime propter homoioteleuton ((nam litterae *i* et *t* in scriptura langobardica simillimae esse solent cf. 15, 13 *gratis* pro *Graiis* 17, 17 *et* pro *ei* 41, 10 *inde* (i. e. *iñ*) pro *tamen* (i. e. *tñ*)) pronomen *te* perire potuit.

25 *leuitate iaculi aut iactu disci*] Absurdam hanc codicum scripturam purgauit interpolatione Andresen (Em. p. 169) delens uocabulum *iactu*, quod ortum esse ex *iacti* i. e. ex altera lectione uocis *iaculi* (*iacti*) putauerim.

26 *in forum et ad causas id est ad uera proelia*] Sic corrigendum pro eo quod errore typothetae in contextu p. 7, 26 legitur: *in forum id est ad causas et ad u. p.* Suspicor enim in exemplari archetypi non *et* ante uerba *ad uera proelia* scriptum fuisse, sed *ꝫ* (*id est*), quae abbreuiatura saepius a librariis in mss. non est agnita cf. Wattenbach Anltg. p. 25.

33 *meditatus uideris aut elegisse*] Corruptela *aut* mirum est quot coniecturas exciuerit. Schopen proposuit *ultro*, Halm:

etiam, Ritter: *aut ultro*, Bährens: *atque*, Oberbreyer: *autem*, John: *et*, Orelli: *ut*, Haase: *hanc*, Thomas (Bursian) *ante*, cum Jo. Müller ante *aut* adderet *formasse* et Lipsius praecedente Puteolano molestam illam uocem prorsus deleret. Equidem aliam emendandi uiam ingrediendam esse ratus *aut* correxi in *at*, quam coniunctionem posui in capite sequentis enuntiati: *at sentio quid et q. s.* Cui coniecturae adstipulari uidentur ea, quae quamuis corrupta leguntur in editione Beroaldi (a. 1515): nec accusatur offensa necessitudine officii aut fide aduocationis aut fortuitae et subitae dictionis impetu. *At* tu meditatus uideris elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam. Sentio et q. s. Si illud *tu* (ante *meditatus*) dittographia est uocabuli [*impe*]*tu* — quod equidem non dubito — elucet particulam *at* primitus alium tenuisse locum.

17 *tolle igitur quietis et securitatis excusationem*] cf. Sen. ep. 17, 4 tolle itaque istas excusationes.

39/41 *in quibus expressis* (*expressit* C. *om.* EV_2) *si quando necesse sit pro potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata*] Sic codd., nisi quod E *expressit*, V_2 *et expressit* habent post *necesse sit*. Magnopere errarunt, qui ex obscura illa lectione codicum *expressis* uel *expressit* aliquid sani elicere sunt conati. (Wagener: *exponendis*, Philipp: *experiendis*, Inge: *exercendis*, Peterson: *expendendis* uel *expromendis*, Mähly: *expresse*, de la Monnaye: *expressius*). Nam nihil aliud est *expressit* nisi uaria lectio falso intellecta a librario quodam. Exstitit enim sine dubio ad scripturam *et probata sit* altera lectio *exprobata sit*, quam nescio quis in margine uel inter uersus — qua de causa uariam in libris habet sedem — breuiter sic adnotauit: *expr. sit* Quam saepe enim uoces *et* et *ex* in nostris libris manu scriptis inter se confusae sint, docent loci 5, 11 12, 10. 14, 9. 16, 29. 18, 4. 22, 6. 26, 13. 26, 21. 34, 21 Verbum autem *exprobare* ut abhorrens est a sermone Latino, ita in deliciis librariorum medii aeui fuisse uidetur cf. c. 34, 12 exprobet DE, exprobaret V_2, Agr. 32 exprobaturi A (sed corr.) B, hist. I, 37 exprobatur, ann. 1, 35 exprobant M, Cassiod. Var. II, 28. 1 (ed. Th. Momms.) exprobata ON, Quintil. 6, 3, 94 exprobat. Lact. epit. ad Pent 44, 5 exprobat. Cic. Lael. 20, 71 ex-

probant. Sen. rhet. (ed Burs.) p. 212, 16 exprobaret, p. 155, 10 exprobarent, p. 64, 11 exprobare.

11, 9 *cum quidem in Nerone* (*nerone* HV_2 *Neronē B neronē A*) *improbam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi*] Cum Wagenero *pridem* (*p̄dem*) pro *quidem* (*q̄dem*) scripsi, quae coniectura a ratione palaeographica admodum est probabilis, cum saepius in nostris codicibus permutentur litterae *q* et *p* cf. 12, 24 et 37, 37 *per* pro *qui* i. e. *p* pro *q* (C), 31, 36 *reperitur* pro *requiritur* (B). Illi temporis aduerbio *pridem* suspicor interpretationis causa fuisse adscriptam glossam hanc: *ꝺ Nerone impr̄e* i. e. *id est Nerone imperatore.*

16 *nam statum cuiusque ad securitatem melius innocentia tueor quam eloquentia*] codd. Vulgo Lipsio auctore legitur: *nam statum hucusque ac securitatem* et q. s. At hoc modo si conformatur textus, imperfectum *tuebar* restituatur necesse est. Ego ut difficultatem tollerem, transpositis *que* et *ad* syllabis (*adque*) *cuius* in *huius* (*sc. domus*) correxi. cf. 28, 16 tueri domum. Sen. de clem. 9, 8 domum tueri non potes. Id., ep. 95, 12 securitatem tranquillitatemque tueri. Cic. Tusc. I, 1, 2 nam mores et instituta uitae resque domesticas ac familiares nos profecto et melius tuemur et lautius. Cass. Var. VI, 1, 1 statum rei publicae Romanae uiri fortis dextera tuebatur.

12,3 *non in strepitu urbis*] *urbis* add. Schopen, cf. Plin. ep. III, 5, 12 urbis fremitus.

9 *sanguinantis eloquentiae*] Quamquam corruptum esse uocabulum *sanguinantis* mihi quidem persuasum est, tamen statuere certe, quid sit scribendum, mihi non contigit. Haud scio an corrigendum sit: *sancta inquinantis (scā inquinantis)* Bährens cum editione Juntina (a. 1527) scripsit *saginantis*, cum Schulting *sanguine manantis*, Bezzenberger *sanguini inhiantis* coniceret.

14 *nec ullis aut gloria maior aut augustior honor*] Falluntur mea opinione, qui lacunam hoc loco suspicantur auctoritate codicum $ABEV_1V_2$ permoti, qui illam indicare uidentur. Nam horum librorum scripturam sic explicandam esse censeo,

ut statuamus in archetypum irrepsisse praeter lectionem *gloria more* i. e. *gloria maior* alteram scripturam, quae etiamnunc extat in HV_1 et in margine cod. B a manu secunda: *clamore*, corruptelam sine dubio ex *glamore* i.e. *glia more* (*gloria more*). Postea uitio intellecto *clamore* rasura deletum est. Nescio an illud *qui*, quod in V_1 legitur inter uoces *deinde* et *apud*, ortum sit ex *q̄* i. e. *quaere*, quod in margine exempli cod. V_1 adnotatum fuisse uerisimile est, ut totus locus tamquam incertus indicaretur.

23/24 *qui te Ciceronis*] D. In nullo dialogi codice saepius factum est, ut correcturae non deletis uitiosis lectionibus, quibus erant adscriptae, in textum migrarent quam in codice D. quod uitium et hoc loco admisisse librarium credibile est. Inuenit sine dubio in exemplo suo *ceceronis*, unde scripsit *ce* uel potius *te ciceronis*.

13,8 *praesentem spectantemque Virgilium ueneratus est sic quasi Augustum*] Deleui non solum nomen Virgilii, quod ferri non posse *Ernesti* perspexit, sed etiam uoculam *sic* quod haud scio an corrupta sit ex *s.* i. e. *scilicet*. Suspicor enim glossema superscriptum fuisse uerbis *praesentem spectantemque* hoc: *Virgilium s.*, quae coniectura confirmari uidetur loco, qui legitur in Vita Virgilii, quam publici iuris fecit primus nisi fallor A. Maius in tom. VII. p. 324 Class. Auct. e Vaticanis codicibus edit.

Legitur enim ibi locus noster hoc modo: *nec apud populum Romanum notitia caruit: nam auditis in theatro Vergilii uersibus, ipse populus Romanus surrexit uniuersus et forte praesentem spectantemque Vergilium sic ueneratus est quasi Augustum*. Vides auctoren Vitae usum esse codice illud *s.* (*scilicet*) post *Vergilium* exhibente.

praesentem spectantemque] cf. Plin. Pan. 56 praesentem *audientemque* consalutabant imperatorem.

14 *ii quibus praesto non sunt*] Sic e coniectura Halmii admodum probabili scripsi. nam et sensu est aptissima et quis est quin intellegat, facillime ex *praesto n̄ st* oriri potuisse id, quod omnes codices habent: *praestant*. Seruata codicum lectione (*praestant*) Andresen ante *ii* addidit *uel*, ut sensus sit

sententiae: so dass sogar diejenigen, denen sie ihre Bitte gewähren, sich beleidigt fühlen.

15 *quod alligati cum adulatione*] Pro *cum* correxi *clientium*, quod quin per compendium scriptum fuerit *cli*^{um} equidem non dubito, quamquam huius abbreuiaturae testimonia me adferre non posse confiteor. In notis Tironianis C. significat *cliens*.

Sensus igitur is est, ut dicatur Crispum et Marcellum aliis non satis liberos uideri, quia, ut sunt semper circumdati turba clientium, cotidie aliquid contra animum aut facere aut dicere cogantur (cf. Sen. de breu. uitae 2, 4 quam multis nihil liberi relinquit circumfusus *clientium* populus), contra aliis i. e. potentibus non satis seruiles, quia his in patrocinio praestando non tam humiliter blandiuntur, quam illi concupiscunt.

20 *ad illosque fontes*] Commendari uidetur collocatio praepositionis ante *illosque* et a probabilitate palaeographica (praeit uocabulum *sacra*) et usu loquendi cf. hist. III, 50, 10 ad omniaque Caes. b. c. 1, 14, 1 ad pecuniamque Liv. 37, 31, 7 ad traiciendaque Nep. Dion 4, 2 ad eumque Dat. 7, 1 ad regemque Cic. ep. 12, 17 ad teque, ad Att. 9, 18 ad omniaque, de nat. deor. II, 55, 137 ad easdemque, Ouid. fast. 2, 258 ad dominumque, Manil. 5,686 ad bellumque, Lact. inst. VII, 26, 7 ad poenamque, Tac. ann. 5, 10 per dolumque 16, 2 ab oratoribusque Cic. de or. I, 1, 2 inter nosque III, 24, 93 ob eamque causam Tusc. III,2 a naturaque, or. 59, 199 in eoque, de nat. deor. II, 12, 32 ab hisque 11, 30 ob easque 18, 47 a medioque 22, 58 ob eamque 30, 75 ab eaque 41, 104 cum caeloque 44, 114 in medioque 45, 116 ob eamque 46, 119 ab eoque 55, 138 ex eaque III, 8, 20 de primaque 22, 56 ob eamque 37, 89 in portumque 37,89 in marique. Auct. b. Afr. 64 in Africamque, 61 in eosque, 90 de uitaque, 92 ab eoque, 93 a suisque, 97 ex regnoque, Ou. Met. XI, 227 in suaque, Manil. 5, 624 per noctesque 5,169 per totumque . . corpus, 1, 793 per tresque, 1, 239 sub pedibusque 1, 94 in noctemque 2,885. 4,128. 4,364. 4.435. 4.887, 5,396. 5,413. Pomp. Mela I, 7, 37 ab eoque I, 8, 39 in eaque I, 9, 52 ex ipsaque.

21 *lubricum forum famamque pauitantem*] Quod praebent codd. H et B (m. II) *pallentem*, id mihi coniecturam librarii cuiusdam sapere uidetur, qui in exemplo suo aut *palantem* aut *pallantem* inuenit nec intellexit. Ego *pauitantem* legendum conieci, quia hoc uocabulum discerptum in *pau̅ antem* i. e. *pauit antem* facillime in *pallantem* abire potuit. Verg. Aen. VI, 498 Vix adeo adgnouit pauitantem.

25 *quandoque enim fatalis et meus dies ueniat* (*ueniet H b p*)] Deleui cum Nipperdeio uocabula *enim* et *et*, quae mea opinione inde in textum irrepserunt, quod uaria eaque uera lectio *ueniet* super *fatalis* erat adnotata. Sic factum est, ut haec uox illo uocabulo primo e textu eliminaretur, deinde autem, cum animaduerteret librarius errorem suum, superscriberetur. *fatalis* Textus igitur hanc prae se tulit formam: *quandoque ueniet meus dies ueniat*. Inde discerpto uerbo *ueniet* in duas partes (*ueni — et*) et uoce *fatalis* rursus in textum recepta haec sunt profecta: *quandoque ueni fatalis et meus dies ueniat*, unde quomodo ea, quae leguntur in codicibus nostris, oriri potuerint, facile est intellectu.

14,2 *cubiculum eius ingressus est*] Deleto *est* post *ingressus*, dedi: *cubiculum est ingressus*, cum uulgo incluso pronomine legatur: *cubiculum ingressus est*. At uerisimilius est in illo *est*, quod codices exhibent post *ingressus*, correcturam latere uitii librarii, qui quod saepius est factum in mss. — cf. 9, 10 et Germ. 14. Plin. nat. hist. XIII, 53 — pro *ē* (*est*) scripserat *e᾽* (*eius*). Nolo tacere in Acidalii editione *est* omissum esse.

13,14 *me uero inquit et sermo ipse infinita uoluptate affecisset atque id ipsum delectat quod nos* et q. s.] Hoc loco librarius, ut uidetur archetypi, in idem uitium incidit, quod admisisse uidemus scribam codicis illius, e quo fluxerunt H et V_1, quorum uterque 21,18 pro *illae* exhibet *et*. Apparet et hoc loco et nostro scriptum fuisse in exemplo non *et* *e* sed *i* i. e. *ille*. Non minus erratum est nostro loco in soluendo compendio *ip's*, quod non est *ipsum* (*ip̄ꝫ*), sed *inprimis* cf. Prou, Man. pal. p. 263, 6 et p. 264,13 et Walther, Lex. diplom. col. 182,9. Similem gradationem habemus apud Plinium Pan.

c. 74 cum multa illo die dicta sunt sapienter et grauiter, tum uel inprimis 'crede nobis, crede tibi'.

20 *itaque hercle non minus probari uideo in te, Secunde, quod Juli Africani (asiatici* codd.) *uitam componendo spem hominibus fecisti plurium eius modi librorum quam in Apro, quod nondum ab scholasticis controuersiis recessit et otium suum mauult nouorum rhetorum more quam ueterum oratorum consumere*] Mihi pariter atque Halmio et Andreseno in hoc enuntiato excidisse aliquid uidetur. at non supplendo *damnari* uel *improbari* ante *in Apro* proficere aliquid putauerim. Obstant enim his coniecturis uerba Apri, quae sequuntur: *non desinis, Messalla, uetera tantum et antiqua mirari, nostrorum autem temporum studia irridere atque contemnere*, quibus elucet uituperatum esse a Messalla et Aprum et Secundum. Sed ut hanc dubitationem mittamus, quid quod Messalla se uidere dicit, illos, quod suorum temporum studiis se darent, improbari ab aliis? Nonne propriam suam Messalla proferat sententiam necesse est? Equidem non dubito, quin uerba scriptoris sic restituenda sint: *itaque hercle non minus recte improbare mihi uideor* et q. s. Lacuna librorum ita orta esse uidetur, ut oculi librarii ab altero <*m*> *in'* (*minus*) ad alterum *in*<*probari*> aberrarent. Tum uero *uideor* in *uideo* corrupto ex *improbare* i *m* (*mihi*) ortum est *improbarei* indeque *improbari*.

15,5 *parem antiquis*| Suppleui Lipsio auctore *parem*, quod uocabulum per compendium scriptum (*pē*) a librario facillime omitti potuit, praesertim cum ille uirgulas sic intellegere posset, tamquam essent delendae litterae *p* et *e*. Idem uitium deprehenditur in Suet. uit. Lucani (p. 299, 36 ed. Roth), ubi nonnulli tantum codices *parem* exhibent, ceteri omittunt.

13 *et quod quibusdam solacio est mihi auget quaestionem, quia uideo etiam Graiis* (*gratis* codd.) *accidisse ut longius absit ab Aeschine* et q. s.] Minime est credibile locum sic ut legitur in codd. a Tacito esse profectum. nam uerba prorsus absurda sunt. Attamen non tam corrupta esse ipsa uerba putauerim quam turbatum eorum ordinem. Transpositis enim uerbis *uideo etiam Graiis accidisse* post *solacio est* lenissimis emendationibus opus est, ut sensum assequamur

aptissimum. Corrigendum uidelicet *uideo* in *idem* et *ut* in *uel* (*ul*). Sensus igitur totius loci hic est: Und was Manchem zum Troste dient, dass es den Griechen ebenso ergangen sei, das erhöht für mich die Bedeutung der Frage, da der Abstand der jetzt lebenden griechischen Redner von Aeschines und Demosthenes sogar ein noch grösserer sein dürfte (uel longius absit) als der des Afer, Africanus u. s. w. von Cicero oder Asinius, so dass also — sic enim supplendum est — wenn die Entwickelung der griechischen Beredtsamkeit für die der unsrigen wirklich eine Analogie bietet, noch ein weiterer Verfall unserer Beredtsamkeit zu erwarten sein würde. Iam Bährensium in editione sua et correcturam *idem* et transpositionem verborum ante me praeoccupauisse postea uidi.

16,22 *quos satis constat Philippi et Alexandri temporibus floruisse, ita tamen, ut utrique superstites essent*] Secutus sum Pollium, qui uerba *ita tamen ut utrique superstites essent* ut cassa et absurda e contextu eicienda esse censuit cf. Fleckeiseni annal. tom. CXXXIII p. 80.

26 *ac spatium immensi huius aeui*] ac respectum codd. Recepi Mählyi pulcherrimam coniecturam, nisi quod pro *atque* scripsi *ac*. Nam illud *re*, quod codd. habent ante *spectum* i. e. *spatium* [cf. 22,7 lectiores (latiores) (b), Caes. b G. III, 19,3 defectigatione (defatigatione), Cassiod. Var. II, 40,6 collata (collecta)] ortum esse uidetur e correctura ad antecedens uitium *inferas* (D) spectante, quod in nonnullis codd. pro *referas* admissum fuisse uidetur.

17,6 *nam ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe et Pansa consulibus, ut Tiro libertus eius scripsit et q. s.*] Verba *Hirtio nempe et Pansa consulibus* deleui, ut supplementum plane otiosum et inutile, quo qui adiecit explicare uoluit enuntiatum: *quo anno . . . suffecit*. — Vitium codicum *scripsit* ab Andreseno iam dudum correctum est in *scribit*, quae emendatio, cur a nonnullis editoribus repudiata sit, miror, cum facillima sit, quoniam a librariis medii aeui saepissime formae perfecti quoque temporis huius uerbi exaratae sunt littera media adhibita: *scribsit* (sic cod. Monac. (s. X.) Porphyrionis cf. ed. Meyeri p. 135, 2. 271, 20. 356, 4) *scribserit* (ibid. p. 242, 4), *scribserat* (ib. p. 31, 6), *scribta* (ib. p. 37, 19) et

quae sunt similia. Sic facillime ex *scribit* primo *scribsit*, deinde *scripsit* oriri potuit.

12/14 ***atque illum*** (EV$_2$, ***ipsum*** CDA, ***unum*** HV$_1$bp, *istum* AB) ***Galbae et Othonis et Vitelli longum et unum annum ac sextam iam felicis huius principatus stationem qua***] Locum admodum contaminatum turbant cum alia uitia tum numeri haud dubie corrupti. Ut sibi constet ratio, cum Lipsio in uersu 9 corrigo *sex* pro *nouem* et in u. 14 cum Sauppio ***nouem*** pro ***sextam***, cum pro eo, quod codd. post ***sextam*** praebent, ***iam*** (*iã*) scribam *inde* (*iñ*), quam tamen coniecturam ipse haud certam existimauerim, cum in aperto sit uoculam ***iam*** facillime etiam e dittographia antecedentis uocabuli <*sex*>***tam*** originem ducere potuisse. Haud minus difficile certa quidem ratione emendatu alterum est uitium, quod latet in uocabulo ***stationem***. Quod ut sensum aliquem enuntiato elicerem transponere ausus sum correctum in *stationibus* (*stationib*;). Incidentem me paulo post in locum Ammiani, qui est XV, 4, 2 *lacum per quadraginta et sexaginta stadia longum* paenituit non correxisse *atque illum per* (p) *Galbae et Othonis et Vitelli stationem longum annum.*

Aliorum conamina sunt: *septimam iam* (Urlichs), *sexennem iam* (Meiser), *sex tam* (Spengel), *VIIII tam* (Sauppe), *VII tam* (Michaelis), *sextum iam felicis huius [principatus] stationis* (Bährens), *sex iam tam* (Schele).

16 *id est unius hominis aetas*] Coniecturam Schopeni *id est* confidenter recepi, cum codex Venetus ante *unius* habeat *in*, quod quidem Michaelis in ed. sua adnotat. Illud *in* autem nihil aliud est sine dubio nisi ·ı· = *id est* cf. Prou l. l. p. 257, 1 et Wattenbach, Anltg. p 25.

26/27 *nam Coruinus in medium usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum durauit*] Cum Coruinus non in medium usque Augusti principatum uixerit, sed paene usque ad finem eius (nam mortuus est anno p. Chr. nono), contra Asinius e uita decesserit anno p. Chr. quinto, prorsus absurda sunt uerba, quae in libris mss. traduntur omnibus. Nihil proficere nos, si cum Borghesio (Opp. I, 410) nomina propria (*Coruinus-Asinius*) sedes suas mutare iubemus, quam coniecturam nonnulli editores probauerunt, et Nipperdey (Opusc.

p. 288 sqq.) et Bährens (in edit. p. 72) docuerunt, qui uir doctus rectissime adnotat: certe sane iudicii mentisque homo sic locutus esset: *nam uterque paene ad extremum Augusti principatum durauit.* Quo magis mirandum est Bährensium errorem Apri suspicatum sibi persuasisse uerba ita, ut sunt in libris mss. exarata, ab auctore esse profecta. Scripsisse potius re uera auctorem nostrum haec tantum: *nam uterque ad extremum usque Augusti principatum durauit*, mihi quidem persuasissimum est. At quo modo fieri potuit, ut genuina haec uerba tam incredibiliter inquinarentur et interpolarentur? Librarii illius nimirum studio corrigendi, quo saepius uerba scriptoris nostri foede contaminata esse uidemus. Exarata erant, nisi fallor, in exemplo illo, de quo descripsit interpolator, fere haec:

Coruinus
Asinius

nam ur'que paene ad extremum durauit haec
ideo praedixi ut si qua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus adquiritur,
eam docerem in medio sitam

(margo codicis)
ne diuidatis saeculum et antiquos ac ueteres *et quae s.*

(inferior margo codicis) in medium usque Augusti principatum

Vides igitur uerba *usque Augusti principatum* propter homoeoteleuton *(extremum—principatum)* omissa, sed in inferiore margine codicis addita fuisse ibidemque a librario quodam adnotatam fuisse lectionem uariam quamquam uilem *in medium* ad *in medio* spectantem. Quas adnotatiunculas corrector noster male sedulus cum explicatione pronominis *uterque*, super quo nescio quis nomina ipsa adnotauerat, omisso hoc pronomine ita conglutinauit, ut uerba illa procederent absurdissima, quae in nostris omnibus codicibus leguntur. Auxit turbationem ea res, quod enuntiatum *ne diuidatis—potuerunt* item omissum itemque in margine codicis additum erat. Quo factum, ut cum essent uerba *ne diuidatis* uicina uerbo *durauit*, a librario enuntiatum illud falso loco textui adderetur.

18,2 *ne diuidatis saeculum et q. s.*] cf. adnotationem in fine cap. 17.

21 *qui prae Catone Appium Caecum magis mirarentur*] Codices habent *pro Catone*, quod ferri nequit. Non dubito,

quin recepta Groslotii correctura *(prae)* omnia se recte habeant cf. locum Frontonis, ep. 1,2 (ed. Naber p. 95): *nihil umquam prae uobis dulcius habui.*

19,1/3 *nam quatemus antiquorum admiratores hunc uelut terminum antiquitatis constituere solent qui usque ad Cassium quem reum faciunt et q. s.*] Sic codd., nisi quod in B *qui* incluso additum est *an*, quae correctura speciem coniecturae prae se fert a librario ex suo ingenio factae. — Transposui uerba *quem faciunt* post *terminum*, quo loco oculis librarii a <*term*>*inum* ad <*fac*>*iunt* aberrantibus facile excidere potuerunt. Postea uero cum animaduertisset librarius errorem suum, addidit illa inter uersus ita, ut forma totius loci haec fere esset:

hunc uelut terminum antiquitatis constituere solent
quem faciunt
usque ad cassium seuerum quem primum adfirmant.

Quomodo autem fieri potuit, ut ex his euaderet corruptela: *ad cassium quem reum faciunt quem et q. s.?* Nimirum uerba *quem faciunt* ita erant picta inter uersus, ut illud (*quē*) super *seu*, hoc autem (*faciunt*) super lacunam, quae erat inter uerba *seuerum* et alterum *quem*, locum teneret. Qua de causa librarius uerba textui hoc modo inseruit, ut pro *seu* poneret *quē*, deinde adderet truncum *erum* (id paululum immutans in *reum*, nisi forte suspicari licet iam in exemplo librarii scriptum fuisse per metathesin quae uocatur litterarum *seu reum* pro *seuerum*), tum adiceret *faciunt*.

In illo *qui*, quod omnes codices habent post solent, agnoscere mihi uideor *q̄* i. e. *quaere* (u. supra ad c. 7,15), quod quis, cum non intellegeret sensum loci, in margine codicis adnotauit.

20,25 *quid enim si infirmiora horum temporum templa credas.*] Nonnulli editores (Nipperdey-Schoell, Baehrens aliique) cum prorsus abhorrere a Latino sermone locutionem *quid enim si* censerent, scripturam codicum mutari uoluerunt. At nulla mutatione opus est cf. simillimum locum qui est apud Senecam de breu. uit. 8,1: *quid enim si illum multum putes nauigauisse, quem saeua tempestas a portu exceptum huc et illuc tulit, ac uiribus uentorum ex diuerso furentium per eadem spatia in orbem egit? Non ille multum nauigauit, sed multum iactatus est.*

21,3 *nec unum de populo Ganuti* (*sanuti* B *s'anuti* D *ganuti* V_2 *Canuti* HV_1bp) *aut Atti* (*Acti* E *arti* V_2 *Aride* V_1) *de Furnio et Toranio* (*Coranio* ACDE *coramo* V_2) *quique alios* (*qui* om. EV_2 *quique* CDΔ) . . . *probant*].

Plurimi uiri critici recte quidem intellexerunt postulari hoc loco uerbum dicendi, errauerunt autem cum supplendum esse *dicam* (Steuding) uel *nominabo* (Gronow) uel *memorabo nec dicam* (Andresen) uel tale quid opinarentur. nam dicendi uerbum latet sine dubio in codicum scriptura *de*, quod nihil aliud est nisi *d°* i. e. *dico* (cf. Prou, Man. pal. p. 221,11). Quod si uerum est, apparet et ablatiuum *populo* ab interpolatore textui illatum esse pro *populum*, postquam est uitium *de* admissum, et in exemplo archetypi uel alio quo antiquiore codice non exaratum fuisse *u*^{m} i. e. *unum* (cf. Prou l. l. p. 335,7), sed *i*^{m} i. e. *illum* (cf. ibid. p. 258,3), qnod uitium etiam 17,12 in codd. HV, b et in ed. Puteol. deprehenditur. — Etiam ea quae sequuntur uerba *Ganuti aut Atti de Furnio et Toranio quique alios* mirum in modum in codd. corrupta sunt. Correxi: *Pacuui aut Atti id est Furnios et Toranios aliosque qui*, quae emendandi ratio et palaeographica probabilitate et sensu ualde commendatur. Nam quod attinet ad rem palaeographicam, postquam *i* littera uocabuli *id* (i. e. id est cf. Prou l. l. p. 258,12) antecedente <*Att*>*i* est absorbta et *alios* omissum propter similem exitum uicini uocabuli (—*anios*), nonne ex

Pacuui aut Atti d Furnios et Toranios que qui

facile oriri potuit

Pacuui aut Atti de Furnio et Toranio quique

et inde iterum superscripta uoce omissa *alios*

Pacuui aut Atti de Furnio et Toranio quique^{alios}? Quod si statuimus, facile est intellectu, cur alii codices (ABV_1) praebeant *quique alios*, alii (EV_2) *que alios*, ceteri (CDΔ) omisso *quique* solum *alios*.

Pacuui autem nomen, primum, ut uidetur, metathesi quae uocatur litterarum abiit in *Pauuci*, deinde, postquam prima

littera nescio quo casu euanuit aut difficilis fuit lectu*), ex similitudine litterarum *u* et *n* atque *c* et *t* in <*C*>*anuti*.

De sensu cf. 20,20 Pacuuium certe et Accium non solum tragoediis, sed etiam orationibus suis expressit; adeo *durus* et *siccus* est.

7 *in una et altera oratiuncula*] Legendum cum Baehrensio *in una aut altera or.*, quae correctura, ut non in textu poneretur, errore tantum meo factum est.

14 *nec uoluntatem ei quo minus sublimius . . diceret . . defuisse*] *minus* add. Halm, cum Puteolanus, Peter, Baehrens aliique corrigi uellent: *quin*. At illud sine dubio praeferendum cum a probabilitate palaeographica tum ab usu loquendi. Cf. e. g. Cic. de rep. 3, 30, 42 *duas sibi res quo minus in foro diceret, confidentiam et uocem, defuisse*. Inv. 2, 45, 130 *scriptori nulla facultas defuit, quo minus aperte posset perscribere id quod cogitaret*. Quintil. 8, 3, 50 *cum sermoni deest aliquid, quo minus plenus sit*. Sen. ep. 117, 10 *unum enim deerat illi, quo minus bonum esset*. Sen. rhet., contr. X pr. 13 (p. 296, 5 ed. Burs.) *quibus quo minus ad famam peruenirent, non ingenium defuit, sed locus*.

18 *sordes autem illae uerborum*] Pro *illae* codices ABD praebent *regule* uel *regulę*, quod uocabulum coniecturas non paucas uiris doctis elicuit. Ribbeck coniecit *hercule*, Mähly *reiculae*, Dienel *ridiculae*, Buchholz *rugae illae*, Sorof (Peterson) *reliquae*, Meiser *et maculae* alii alia. At nulla coniectura opus est, cum origo scripturae *regule* manifesta sit. Cum enim nullo modo dubitari possit, quin in plurimis locis archetypi formae pronominis *ille illa illud* per compendia scriptae fuerint, ita ut per $\overset{e}{i}$ *ille*, per $\overset{a}{i}$ *illa*, per $\overset{d}{i}$ *illud* et q. s. significaretur, causa est in aperto, cur hoc loco codd. ABD habeant *regule*. nam cum haec uox abbreuiari soleat per $\overset{e}{r}$ (cf. Prou, l. l. p. 313, 4 et Cappelli, Dizionario di abbreuiature Latine ed Italiane. Milano 1899 p. 292), apparet librarium ex similitudine litterarum *r* et *i* (cf. 3, 10 thr̲estes (V_2), 15, 16 mr̲tilenas (V_2), 16, 21 r̲peridem (V_2) 20, 4 per-

*) quod concludere licet e discrepantia codicum *G*anuti, *S*anuti, *C*anuti, *s*anuti exhibentium.

petretur (D), 2, 11 Apium (D), 5, 6 Salerum (A), 5, 9 Salerius (B), ortum, nisi fallor, ex Salerus) pro *i* legisse *r*. Hinc quoque elucet, cur H et V_1 praebeant *et*.

38 *nolo Coruinum insequi, quia nec per ipsum stetit quo minus laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret et uidemus in quantum iudicio eius uis aut animi aut ingenii suffecerit*] Sic uulgo legi solet hic locus, qui inprimis aptus est ad demonstrandum, quantopere iam archetypus corruptus et contaminatus fuerit. Verba enim ut sunt in codd. tradita, conglutinata sunt ab interpolatore, qui ueram scripturam cum additamentis quibusdam contaminauit, quae in exemplo suo inuenit. Rem ita habere libentius credet, qui comparauerit locos (uelut c. 1, 15. 3, 9. 6, 3. 9, 3. 11, 9. aliosque), quibus idem factum esse uidemus.

Ac primum quidem in uerbis codd. *uiderimus in quam iudicio* nihil nisi interpretamentum latere suspicor uerborum, quae paulo post sequuntur cap. 22, 4 *nec ulla re magis oratores aetatis eiusdem praecurrit quam iudicio* (scil. Cicero). Ad haec enim uerba ni egregie fallor adnotauit quidam hanc explicationem: *uz minus ui quam iudicio* = *id est*: *ualet* (de compendio *uz* cf. Prou l. l. p. 335, 5) *minus ui quam iudicio*. Deinde eliminanda locutio: *non per ipsum stetit*, quae paraphrasis est sententiae <*vix*> *suffecit quominus*. Sublatis sic foedis illis additamentis omnia recte se habent, nisi quod inserenda est inter *ingenii* et *suffecerit* uocula *uix*, quae illo loco facile excidere potuit, praesertim si corrupta erat in *uis*, quod uitium alias saepius admissum esse satis constat. cf. 19, 21 *uis* (V_1), Caes. b. c. I, 71, 4.

22,4 *oratores eiusdem aetatis*] Sic hunc locum ex auctoritate codd. AB dedi, quamquam hanc genuinam esse lectionem haud crediderim. Latet potius hoc loco nisi fallor, altior deprauatio, quam cum alia tum discrepantia codicum indicare uidetur. Non alienum erit coniecturam licet incerta sit, de corruptela proferre eiusque originem patefacere. Quaeritur igitur, qui fieri potuerit, ut ordo uerborum tantopere turbaretur, ut in alteram codicum classem transiret lectio *oratores aetatis eiusdem*, in alteram *eiusdem aetatis ora-*

tores. Elucet uocabula *eiusdem* et *aetatis* (*ętatis*), cum primae litterae essent inter se simillimae*), facillime sedes suas mutare potuisse, cum alterum eorum omissum super alterum adnotaretur (*eiusdem* ^{etatis} uel ^{eiusdem} *etatis*). At quae erat causa, cur uocabulum *oratores* in altera classe post *eiusdem aetatis*, in altera ante haec uocabula sedem teneret? Nimirum quod in archetypo haec uox et ante et post illa uerba erat exarata. Scriptum igitur fuisse suspicor hunc locum hoc modo in archetypo:

^{aetatis}
oratores eiusdem oratores,

quae cum inepta esse librarii intellegerent alii hoc, alii illud *oratores* omittendum esse censuerunt. Qua in re magnopere illi errarunt; nam cum necessario exspectemus (id quod Andresenum haud effugit cf. Em. p. 144/45) *ceteros eiusdem aetatis oratores* uel simile quid, in priore illo *oratores* latere apparet uocabulum *omnes*, quod librarius quidam aut sono inductus sequentis uocabuli *oratores* aut nescius compendii (*oēs*) corruperat in *oratores*. Quod si uerum est, nulla dubitatio est, quin seruandus sit ordo uerborum, qui est in codd. CD ceterisque huius classis: *eiusdem aetatis*, cf. 34, 14 *omnes eiusdem aetatis patronos.*

23,18 *uos uero disertissimi ut potestis ut facitis*] codd. Vulgo post *uero* Acidalio auctore additur *uiri.* at offendit non solum ea res, quod deest adiectiuo substantiuum, sed etiam quod uerba *ut potestis ut facitis* quamuis sint sensu diuerso sine ulla coniunctione ponuntur, quod ab ipso auctore factum esse haud crediderim. Scripsit is potius, ut opinor, *disertissimi utpote qui estis*, quae uerba in libris mss., postquam *qui* per compendium scriptum est *q*, facile mutilari potuerunt in *disertissimi ut potestis.*

24,10 *sed more ueteri et a nostris* (ABH, *uestris* CDEV$_1$V$_2$) *philosophis saepe celebrato*] codd. Ego cum Nipperdeio scripsi: *more ueteri et a ueteribus ph. s. c.*, quod me nunc paenitet aliam medendi uiam multo probabiliorem ingressum. Suspicor enim ab auctore profecta esse haec: *sed more uetere*

t et *i* saepius confunduntur 15, 13 gratis, 41, 10 iñ (inde) pro tñ (tamen) 14, 2 Uthanius (C) pro Vibanius i. e. Vipstanus.

qui et (i. e. *etiam*) *a nostris philosophis celebratur*. Hoc modo sibi opponuntur *ueteres* et *nostri* i. e. *huius aetatis philosophi*. Postquam ex *uetere q* (qui) primum *ueterei*, deinde *ueteri* factum est, librarius ad coniunctionem copulatiuam *et* alterum membrum requirens e *celebrat* (*celebratur*) correxit *celebrato*.

13 *sed causas collige cur*] Verbum *collige* hic inserui suspicatus illud *colligitur* i. e. *collige cur**), quod CDΔ praebent post uocem *temporum* (u. 16), primitus a librario quodam, qui uitium omissi uerbi animaduertit, in margine codicis fuisse adscriptum. Postea uero haec correctura deprauata in *colligitur* falso loco textui inserta est. Lectionem alterius classis *collegerit* coniecturae correctoris deberi in aperto est. Locutione *colligere causas* usus est et Cicero de off. II 16 *collectis ceteris causis eluuionis*. Verr. II,68 *quid ego unamquamque rem colligam et causam?* Plaut. Trin. 3, 362 *sescentae ad eam rem causae possunt colligi*. Cic. Verr. II,157 *argumenta colligere*. de orat. II 76, 309 *equidem cum colligo argumenta causarum* cf. praeterea Plin. Pan. 75, 1. Sen. ep. 44, 6 *causas colligere* 24, 2 *exempla c.*, Sen. rhet. p. 313, 15 (ed. Burs.) *argumenta c.* Quintil. 5, 7, 18. 12, 10,52.

25,8 *ne illi quidem parti sermonis eius repugno si cominus* (*comminus* AC, *quo minus* HV_1V_2 b) *fatetur* (fatear E)| Pro *illi* scripsi *ulli*, cum obscurum illud *cominus* prorsus e contextu eliminandum esse censerem. Ortum esse puto ex *eo minus* i. e. e glossa ad aduerbium *nedum* spectante.

13 *omnium autem concessu—probatur*] Restituta coniunctione *enim* pro *autem* (cf. ad 9, 3) totum enuntiatum ut parenthesin uncis inclusi. Gudeman, quem secutus est John in editione sua, correxit *autem* in *tamen*.

18 *numerosior Asinius*] *nervosior* Meiser.

27 *et invidere et liuere*] Verba *et invidere* cum Nipperdeio delere non ausus sum respiciens locum, qui est apud Frontonem ep. 4, 1 p. 59 (ed. Naber): *ne liueant neue inuideant inuicem amici tui*.

29 *non malignitate nec inuidia sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse*] Plerique editores hoc loco, ut defenderent scripturam traditam, zeugma quod uocatur statu-

*) cf. 32, 23 *arbitratur* (AV_1V_2) pro *arbitror cur*.

endum esse censuerunt. Quae ratio quam falsa sit, Ribbeck (Mus. Rhen. XXXII p. 309) demonstrauit. Quod autem uir ille doctus, ut sanaret locum lacunosum, proposuit: *detrectasse* —quod uerbum post *inuidia* inseri uoluit—parum commendatur diplomatica quae uocatur ratione. Quam respiciens equidem inter *inuidia* et *sed* addidi *incidisse* inserta ante *malignitate* et *inuidia* praepositione *in*.

26,13 *frequens sicut his clam et exclamatio*] In his, in quibus sententia omnino non constat, deleui uerba *clam et* (i. e. *clam*) tamquam uariam lectionem ad uocem *exclam* <*atio*> adscriptam (cf. 31, 29 *et clamationes* (V_2) pro *exclamationes*) Quid lateat in *sicut his* quamquam certi aliquid statui non posse credo, tamen haud longe a uero fortasse aberrabimus, si haec uerba orta esse censebimus ex *sicut his* <*triones*> i. e. e glossa ad explicandum aduerbium *tenere* adscripta.

17 *plus bilis*] Fronto ep. 3,3 *bilem sapiunt, quae a me dicuntur.* Codicum scriptura *uis* orta esse mihi uidetur ex *uil* i. e. *uilis.*

28,2 *non reconditas causas requiris nec . . . . ignotas, etiam si mihi partes assignatis proferendi in medium quae omnes sentimus.*] Hunc locum mire deprauatum satis probabili ratione sanasse mihi uideor. Scripsi enim *sed* (s;) pro *si* (cf. ad 7,7) et deleto *etiam* correxi *sentimus* in *sentiant.* Suspicor enim in margine uetustioris cuiusdam codicis ad uitiosam lectionem *sentimus* ueram lectionem *sentiant* adnotatam fuisse. Sed, ut alias, sic hic quoque correctura marginalis falso loco textui inserta est. Addebatur enim post *ignotas*, quo factum est, ut prima littera *s*<*entiant*> exitu antecedentis uocabuli <*ignota*>*s* absorbta mutilaretur *sentiant* in *ētiant* uel potius in *etiam.*

5 *hominum ingeniosorum*] *ingeniosorum* ego addidi cf. Cic. de or. I 51,219 *hominum ingeniosorum.* Verr. II 149 *hominibus ingeniosis.* Caecin. 67 *ingeniosis hominibus.*

10 *et his propriis . . . uitiis*] Codicum scriptura *his* orta est, nisi fallor, ex *nr̄s* cf. Cappelli l. l. p. 217. De similitudine litterarum *r* et *i* cf. ad 21,18.

17 *eligebatur autem*] Praeeunte Ribbeckio scripsi *enim* pro *autem* cf. ad 9,3.

29,5 *teneri statim et rudes animi*] Sic HV_1 b et Put. ed., cum AB post *teneri* habeant *et uirides*, C *et uiles*, DΔ *et uires*, V_2 et e (in lacuna) *et uides*. Knaut. Wolff aliique: *uirides statim et rudes animi*, at cf. Cic. de leg. I 47 *animis omnes tenduntur insidiae ab iis, quos modo enumeraui, qui teneros et rudes quom accipiant, inficiunt et flectunt, ut uolunt.* Sen. ep. 50,5 *sequerentur teneri et rudes animi* (ep. 99,11 *teneri aut rudes aut inutiles anni*).

30,3 *statim dicturus*] Omnes difficultates huius loci tolluntur, si pro *statim* scribimus *strictim*. De locutione *strictim dicere* cf. Varro L. L. 9, 28, 38 (ed. Spengel) *nunc strictim dicta apertiora fient infra.* Cic. Cluent. 10,29 *cum ea, quae copiosissime dici possunt, breuiter a me strictimque dicuntur.* Cic. de nat. deor. 3, 8, 19 *quibus de quaestionibus tu quidem strictim, nostri autem multa solent dicere.* Mela I pr. 2 *dicam autem alias plura et exactius, nunc ut quaeque erunt clarissima et strictim.* — Nescio an idem uitium (*statim* pro *strictim*) deprehendere liceat in Caes. b. ciu. I, 6, 3, ubi pleraque quidem pars codicum habet *saltem*, codex Riccardianus *statim*, qua in lectione genuina scriptura latere uidetur *strictim*. Locum igitur ita emendauerim: *strictim de reliquis rebus ad senatum refertur.*

31,30 *neque enim sapientem informamus neque* (*nec* CEV_2) *Stoicorum ciuitatem* (*artem* B)] In emendando hoc loco aperte mendoso tota uia illos errasse existimo, qui retinuerunt alterum illud *neque*. Nam hanc si seruamus coniunctionem, separantur Stoici a ceteris sapientibus, quod fieri nullo modo potest, quoniam Stoici et ipsi inter sapientes sunt numerandi.

Viam scripturam inueniendi ueram sensus ipse totius loci indicat. Nam perspicuum est Messallam Stoicorum dicendi genus hoc loco opponere eloquentiae oratoris quem informare uult i. e. oratoris pleni et perfecti. Quis autem orator perfectus est appellandus? is scilicet, qui, ut cum Cicerone (Or. 14,46) loquar, non ad philosophorum morem *tenuiter* disserere, sed in utramque partem et ornatius et uberius dicere possit. Haud longius igitur a uero aberrabimus,

si in obscura atque inepta illa uoce, quam habent codices, *ciuitate* statuemus latere *tenuitate*, quod uocabulum per compendium scriptum (*tuitate*) facillime errore librarii in *ciuitate* corrumpi potuit. Ne tamen cum Hauptio alterum *neque* prorsus deleatur, cum non appareat quo modo illud in textum irrepere potuerit, ex *neque* corrigo *nos qui est*. Deprauationis progressus euidenter cognoscetur cum meminerimus uocabula illa per compendia scripta hanc uel similem speciem prae se tulisse: *nq̄* uel *ñsq̄* (De compendi *ñs* (*nos*) iam saeculo VIII usitato cf. Cappelli l. l. p. 218, de *nq̄* s. XIV proprio cf. ib. p. 207).

De Stoicorum tenui genere dicendi cf. Cic. de or. I, 11, 50 *etenim uidemus eisdem de rebus ieiune quosdam et exiliter, ut eum, quem acutissimum ferunt, Chrysippum, disputauisse neque ob eam rem philosophiae non satis fecisse, quod non habuerit hanc dicendi ex arte aliena facultatem.*, ib. I, 13, 57 *de quibus illi tenui quodam exsanguique sermone disputant.* Ib. I, 18, 83 *spinosa quaedam et exilis oratio.* Ib. II, 18, 159 *genus sermonis adfert non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum.* Ib. III, 18, 66 *accedit quod orationis etiam genus habent fortasse subtile et certe acutum, sed, ut in oratore, exile, inusitatum, abhorrens ab auribus uulgi, obscurum, inane, ieiunum, ac totum eiusmodi, quo uti ad uulgus nullo modo possit.* Brut. 31, 119 *magnum illud orationis et fusum et multiplex non adhibetur genus* (sc. a Stoicis). Cf. praeterea Cic. de fin. III 1, 3. IV, 28, 79. Brut. 31, 120. De *tenuitate* Lysiae cf. Brut. 16, 64. or. 9, 29. de opt. gen. or. 3, 9.

34 *incidunt enim causae plurimae quidem ac paene omnes quibus iuris notitia desideratur, pleraeque* (codd. *plerunque* uel *plerumque* uel *plerique*) *autem, in quibus haec quoque* (om. AB) *scientia requiritur*] Haec uerba primum, nisi fallor, in dubitationem uocata sunt ab Andreseno (Emend. p. 177). Cuius uiri docti sententiae quamquam in uniuersum assentior, tamen longe aliam medicinam in sanando hoc loco adhibendam esse mihi persuasi. Nam cum Andresen uerba illa omnia ab *incidunt* . . usque ad *requiritur* tamquam frigidiora et obscuriora quam ut elegantissimo dialogi scriptori possint

tribui, e contextu eici uelit, equidem foedis interpolationibus deletis locum sic corrigendum esse censeo: *incidunt enim causae pleraeque in quibus haec quoque scientia requiritur.* Genuina scriptoris uerba hoc modo deprauata esse iudico, ut ad explicandum pronomen *pleraeque* uel in margine uel inter uersus codicis adnotaretur a nescio quo

pleraeque: plurimae q̄ idem ac paene omnes

i. e. *pleraeque*: *plurimae quod idem* (sc. *est*) *ac paene omnes* et ad enuntiatum:

in quibus haec quoque scientia requiritur

adscriberetur paraphrasis, ne recte quidem illud *haec* explicans:

<in> quibus iuris notitia desideratur.

Haec interpretamenta, postquam conglutinata sunt cum textu, causa erant, cur interpolator quidam inductus praeeunte uocabulo *quidem* post *pleraeque*, ut oppositionem efficeret, adderet *autem.*

32,2 *usu facile*] Haec, quam Michaelis excogitauit, coniectura errore tantum meo e textu non est eliminata. Equidem non dubito, quin uera sit lectio, quam omnes codices exhibent: *uniforme.*

14 *ut in actionibus eorum ius quoque quotidiani sermonis foeda ac pudenda uitia deprehendantur, ut ignorent leges, non teneant senatus consulta ius ciuitatis ultro derideant*] Vocabula *ius quoque* margini ut puto antiquioris codicis adscripta inter *eorum* et *quotidiani* addita sunt a librario, qui adnotationem marginalem non intellexit. Pertinebant enim illa ad uerba, quae paulo infra leguntur: *ius ciuitatis ultro derideant.* Hic, ut augeatur gradatio, particula *quoque* suum proprium tenet locum. Conamina aliorum uide apud Andresenum, Emend. p. 125—27.

35,18 *sequitur autem ut materiae abhorrenti a ueritate declamatio quoque adhibeatur*] Proposuerunt uiri docti addere aut ante aut post *adhibeatur*: *similis, par, talis, eadem, uana, adulterina* similiaque. cf. Andresen, Em. p. 145. Respicienti mihi uerba paulo ante praecedentia: *ipsae uero exercitationes magna ex parte contrariae* uerisimile uisum est genuinam

scripturam fuisse: *declamatio quoque adhibeatur contraria.* Abbreuiatio $\overset{aa}{c}$, (*contraria* cf. Prou l. l. p. 343, 2) post *adhibeat'* a librario parum diligenter describente facile neglegi potuit.

24 *quin immo sibi ipsi persuaserant*] Pro $\overset{i}{s}$ (*sibi*) scripsi $\overset{i}{i}$ (*illi*) scil. *populo*, cum *persuaserant* corrigerem in *persuasū erat*. Nam sensus is mihi necessario postulari uidetur, ut dicatur omnibus persuasionem illam infuisse, quem mea correctura me assecutum esse confido.

37 fin. *quorum ea natura est, ut secura uelint*] Haec uerba, quae uulgo finem faciunt capitis 37, cum prorsus absurda sint, paululum mutata uel potius suppleta transposui in init. cap 38 ita, ut excipiant verba *transeo ad formam et consuetudinem ueterum iudiciorum*, quo in enuntiato cum Andreseno (Em. p. 174) uocem *ueterum* deleui, quam nescio quem ad explicandum pronomen *illud (forum)* adscripsisse uerisimillimum est. Sic si ordinem uerborum mutamus, enuntiatum relatiuum *quae etsi nunc aptior extiterit* (*est ita erit* codd.) correcto *aptior* in *apertior* (*aptior*) sensum praebet aptissimum. Sententia enim totius loci haec est: Ich gehe nunmehr zu der Form und Einrichtung der Gerichtshöfe über, deren natürlicher Zweck es (ja) ist für die Sicherheit der Bürger zu sorgen. Wenn nun auch diese jetzt eine grössere geworden ist, so übte doch die Beredsamkeit jenes Forum mehr, auf welchem et q. s. Qua cum sententia comparandum est quod paulo ante (37, 31) legitur: *sciamus nos de ea re loqui quae facilius turbidis et inquietis temporibus extitit.*

20 *sicut omnia alia pacauerat*] cf. ad 3, 6.

39,1 *parum et ridiculum fortasse uidetur quod dicturus sum, dicam tamen uel ideo ut rideatur (ridear* AB)] Ut assequatur id quod uult Messalla, si uerbis traditis credimus, scil. ut rideatur, quid tandem hoc risu efficere potest? Nil nisi ut aut ipse ut homo ineptus rideatur aut res, de qua loquitur, auditoribus absurda uel ridicula uideatur. Mira profecto ratio aliquid demonstrandi! Sed ut hanc dubitationem mittamus, quo modo fieri potest, ut Messalla, qui modo dicebat *fortasse*

id esse ridiculum quod esset dicturus, tamquam subito dubitatio illa (*fortasse*) omnino euanuisset, *ad certum finem* se aliquid ridiculi dicturum esse affirmet, scilicet ut uel ipse uel res, de qua agitur, rideatur?

Quae cum ita sint, mihi quidem uerba *uel ideo ut rideatur* insiticia esse uidentur, quae casu quodam infelici in textum migrauerunt. Agnoscere mihi uideor in illis duas uarias lectiones quamquam magnopere mutilatas. Primum enim ad codicum scripturam *uidetur* adscriptam fuisse puto ueram lectionem: *uidebur* i. e. *uel uidebitur*, unde librarius, qui in littera superscripta *l (uel)* correcturam agnoscere sibi uidebatur, fecit: *uel ideo ut.* quod superest autem *rideatur*, ortum nisi fallor ex *ridetur*, id alteri quamuis peruersae lectioni ad *uidetur* adscriptae deberi suspicor, quod mendum praeeunte uocabulo *ridiculum* facile oriri potuisse perspicuum est.

3 *paenulas istas*] Nullo modo tolerari posse iudico uocabulum *paenulas.* Nam etiamsi omittimus, nullum ueterum scriptorum testimonium exstare, quo doceamur oratores induisse paenulas, tamen ex ipsa comparatione, qua utitur scriptor ad illustrandam sententiam suam, (*quo modo—sic*) efficere possumus falsam esse scripturam codicum. Mihi quidem dubium non est, quin comparatio illa referenda sit ad eam quoque sententiam, quae continetur uerbis: *quantum humilitatis* et q. s. Quod si uerum est, sequitur, ut in dubio illo *paenulas* nihil aliud quaerendum sit quam uocabulum, quod respondeat uocibus sequentibus *auditoria et tabularia* quodque his similem i. e. spatii significationem habeat. Quod recte iam dudum perspexit Mähly, qui legendum esse censuit: *pergulas.* Equidem maiore, ut opinor, probabilitate conieci *paruulas* et post *istas* suppleui *cellas*, quod uocabulum propter homoeoteleuton facillime a librario omitti potuit.

39/40 *itaque hercule eius modi libri extant, ut ipsi quoque qui egerunt non aliis magis orationibus censeantur*] His uerbis atra caligine obuolutis nemini contigit editorum uel interpretum sensum aliquem nedum idoneum elicere. Orta sunt ex pluribus adnotationibus, quae erant adscriptae ad marginem uel quod uerisimilius uidetur sub margine codicis

antiqui nunc deperditi. Suspicor autem ut alias sic in hoc quoque chao, ut ita dicam, uerborum genuina scriptoris uocabula cum additamentis uel glossis interpretis cuiusdam esse contaminata. Ne longus sim, uerba *eius modi libri extant ut . . . aliis magis orationibus* corrupta esse puto ex adnotatione interpretis, qui ad uerba scriptoris *cum se plurimi disertorum ne a P. quidem Scipione aut L. Sulla abstinerent* adnotauit: *eius modi libri <non> extant, <extincti> cū aliis mag<n>is orationibus.* Difficultatem autem, quam reliqua uerba *itaque hercule* et *ipsi quoque qui egerunt non* praebent, ita tollendam esse censeo, ut statuendum sit illa excidisse ante uerba: *non de otiosa et quieta re loquimur,* quo loco iam Muret, Heumann aliique aliquid intercidisse intellexerunt, haec — corrupta ex *ipsis quoque qui non egerunt*— primitus locum tenuisse ante *ingeniis.* Quod restat uocabulum *censeantur* reuocandum uidetur ad errorem librarii, qui in exemplo suo inueuit *cf'atur (conferatur),* quo quis indicare uoluit locum ut corruptum uel dubium comparandum esse cum alio codice.

De constructione quae uocatur κατὰ σύνεσιν: *ipsis quoque qui non egerunt ingeniis* cf. Liu. 10,1 *capita coniurationis uirgis caesi sunt.* 29,12 *auxilia irati.*

40,2 *cum plurimi disertorum . . . . . ad incessendos principes uiros ut est natura inuidiae populi quoque et histriones auribus uterentur.*] Michaelis addita ante *uterentur* cruce (†) Schurzfleischio auctore correxit *ceu histriones,* Haase (emendato *auribus* in *plausibus*) *ut histriones,* Heumann (pro *et histriones*) *adrectioribus,* Bezzenberger totum locum sic scribi uoluit, *ut est natura populi, inuidiae quoque et irrisionis artibus uterentur,* alii alia conati sunt. Equidem transposito *populi* post *histriones* scripsi *populi aura* pro eo quod habent codd. *auribus,* quamquam nescio an praeferendum sit, ut propius accedamus ad litteras traditas: *auris.* cf. Verg. Aen. VI 816 *nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris* et Porphyrion. ad Hor. epist. II 2, 206: *ambitio popularibus auris dedita est.*

41,1 *sic quoque quod superest antiquis oratoribus forum non emendatae nec usque ad uotum compositae ciuitatis argumentum est.*] Hoc loco librarius in idem uitium incidit, quod admissum esse uidemus in Agr. c. 27,11, ubi haec in libris traduntur: *at Britanni non uirtute, sed occasione et arte ducis rati*, cum sine dubio legendum sit: *at Britanni non uirtute, sed occasione et arte uictos rati.* Ut enim hoc loco aliquis adnotauerat glossam: *duci s.* i. e. *duci scilicet*, quae spectabat ad uerba in uersu praecedente: *aduersa uni imputantur*, sic nostro quoque loco nescio quis supra uersum scripserat: *s. oratoribus* i. e. *scilicet oratoribus*, quae uerba, cum post *antiqui* textui inculcarentur, cum hoc uocabulo coartata sunt in *antiquis oratoribus*. De eodem genere corruptelae cf. ea quae adnotaui ad u. 23. In eo, quod omnes codd. exhibent *forum* latere suspicor *fori ñc* i. e. *fori nunc.*

7 *atqui melius fuisset non queri quam uindicari*] Pro *ñ queri (non queri)* scripsi *ħ puerti (haec praeuerti)*. De sententia cf. Sen. de ira III, 27,1 *quanto satius est sanari iniuriam quam ulcisci* et Cassiod. Var. VI, 22,1 *quanto melius in ipsis cunabulis adhuc mollia reprimere quam indurata crimina uindicare*!

23 *ac deus aliquis uitas ac uestra tempora repente mutasset*] Eadem medicina allata, qua supra u. 1 usi sumus ad tollendum uitium librorum, huic quoque loco integritas restitui simulque dissensio, quae magna inter criticos homines de emendando hoc loco exstitit, diiudicari potest. Voluerunt enim corrigi: *uitas ac* [*uestra*] *tempora* (Halm, Schoell), *uitas ac tempora uestra* (Haase), *uitas uestras ac tempora* (Bekker), *uitas uestras ac uestra tempora* (Weinkauff), *uestras uitas ac uestra tempora* (Ritter), cum Andresen (Emend. p. 177) uerba *ac deus* usque ad *mutasset* interpolatori tribuenda esse censeret. Equidem prorsus deleui uerba *uitas ac uestra* suspicatus orta haec esse ex glossa ad *tempora* adnotata: *uet'a s. ac uestra* i. e. *uetera scil. ac uestra.*

42,6 *ego, inquit, te poetis, Messalla cum antiquariis criminabimur*] Ex *cum* correxit Weissenborn *autem*, quam correcturam multi editores comprobauerunt. Haud recte, ut mihi

quidem uidetur, cum oppositio (*ego—Messalla*) inserta coniunctione deleatur aut certe debilitetur. Nescio an illud *cum* ortum sit ex capite uerbi *crim<inabimur>*, quod iam ante *antiquariis* scripturus erat librarius. Inter scribendum animaduertit quidem uitium suum, at non satis dilucide uocabulum inceptum (*crim*) deleuit. Sic facillime librarius posterior pro *crim antiquariis* scribere potuit *cum antiquariis*.

Druck von Max Schmersow vorm. Zahn & Baendel, Kirchhain N.-L.